



Syllabus Differat.

- 1.) Bochmer de secundis nuptiis, praecipue illustrissimarum
- 2.) Graulmann Hila cur, in puncto nullitatis matricemoniis ob defectum liberis consensu.
- 3.) Vingespaner de Iure Dolium vom Missus Dux
- 4.) Galeas.
- 5.) Wurthius de Bonis conjugum et illatio, et duranta matrimonio acquisitione.
- 6.) Argyrius de sponsatibus, probatione, obligatione, et dissolubione sponsaliorum.
- 7.) Argyrius de officio iudiciorum circa officia iurationum.
- 8.) Bochmer de causis aedium et majoribus.
- 9.) Argyrius de probanda rectione credibili.
- 10.) Zudovici de coelibatu poenae nomine imposito.
- 11.) Bochmer de bonis parochialibus. vom Missus Dux.
- 12.) Bochmer de diverso signoris et hypothecariorum iure.
- 13.) Argyrius de Iure miserabilium.
- 14.) Thomassius de origine Processibus requisitorum.
- 15.) Thomassius de Iure circa somnum et somnium vom Missus Dux.

5.

IO. SAMVELIS STRYCKII,  
ICTI, SERENISSIMAE VIDVÆ SAXO-ISENACENSIS CONSILIARI  
AVLICI, ET PROF. IVR. PVBL. ORDINARII,  
BIGA TRACTAT. JVRIDICARVM,  
DE

# SPONSALIBVS,

I.  
DE  
PROBATIONE  
SPONSALIORVM,


Von  
*Erweisung der Verlobnisse,*  
HALAE MDCCXI, D. XXIX. APRIL. HABITA,

II.  
DE  
OBLIGATIONE SPONSALIORVM  
ET  
DISSOLVTIONE,

Von  
*Verbindung und Auflösung der Verlobnisse.*  
MDCCXI, D. XXIX. DEC. HABITA.



HALAE MAGDEB. SVMTV HENDELIANO. 1723.





## PRAEFATIO.



Vm exantlatis studiis Academicis, specimen aliquod inaugurale edendum esset, varia quidem se mihi obtulerunt argumenta, in quibus vires ingenii periclitari potuisse, placuit tamen eiusmodi thema eligere, quod in praxi frequentissimum, & vtile non modo sed & gratum atque iucundum lectores esse posset. Hinc, ex gratissima omnibus & amoenissima materia matrimoniali, hanc de Sponsaliorum probatione elegi, ideo quod illa vbius vsum habeat, nondum tamen ex fundamento tractatam inuenerim. Temporis ratio non permisit haec ipsa plenius excutere & variis rationibus & exemplis illustrare, adeoque veniam mihi a beneuolo lectore polliceor, atque si in quibusdam a recti tramite aberrauero, vt id ipsum suo excuset fauore, omniaque in meliorem partem interpretetur, maiorem in modum contendeo.

A 2

TRA-

TRACTATIO I.  
DE  
PROBATIONE  
SPONSALIORVM.

§. I.

*Scopus Dissertationis.*  
**N**ihil in iudiciis nostris Ecclesiasticis, seu Consistoriis frequentius est, quam lites de promissis Sponsalibus: interim circa probanda Sponsalia non exigua saepe se exserit difficultas. Nam non semper certo constat Sponsalia contracta esse, cum eiusmodi negotiis raro testes adhibeantur; sed quandoque ex aliis circumstantiis de iis iudicari debeat. Proinde animus est hic de probatione sponsaliorum agere, & quid ad eam requiratur breuibus exponere.

§. II.

*Quid hic sit probandum.*  
*i) Consensus contrahentium.*  
Ante omnia autem videndum est, quid hic probandum sit. Iudicandum hoc est ex definitione sponsaliorum, quatenus Sponsalia nihil aliud sunt, quam legitimus consensus duorum, masculi & feminæ, de futuro matrimonio. Sequitur autem exinde, duo hic probanda esse ab actore, primo, talem consensum serio ac deliberato animo interuenisse inter illas personas, de quarum sponsalibus quaritur, qui vocari solet consensus sponsalitus. Ast nondum hoc sufficit, sed & requiritur, ut ille consensus sit legitimus, hoc est, par-

partes facultatem consentiendi habuerint. Non enim consensus tantum, sed & facultas consentiendi habuerint. Non enim consensus tantum, sed & facultas consentiendi requiritur. Velle enim non creditur, qui subest potestati alterius L. 4. ff. de Reg. Iur. Ira quando liberi adhuc in potestate alterius sunt, non sufficit probare consensum liberorum, sed simul probandus est consensus parentum, & quidem praeципue patris, post eius vero mortem etiam matris. Imo in Patria mea hoc speciali Edicto Gegen die Verkuppelung und Versährung der Weiber, Jungfrauen und Unmündigen de Anno 1676. mensl. Octobr. singulariter statutum, quod & deficientibus parentibus tutorum & Curatorum, imo etiam agnatorum & cognatorum consensus requiratur. Cuius verba hic pertinentia haec sunt: Daferne iemand, er sey fremd oder einheimisch, Bürger oder Einwohner dieser Stadt, eine getraute oder ungetraute Person, Eheweib, Wittwe oder Jungfrauen, wes Jahren oder qualität er oder sie auch seyn mögen, ohne Vorwissen, Willen und völlige Beliebung der Eltern, Vormünden oder nächsten Blutsverwandten, beydes von Vater und Mutter, in Ehegelöbnissen zu ziehen sich unterfangen, und selbe respektive mit ihrem, oder ohne ihren Willen, es sey umb unrechlicher oder ehrlicher Liebe, ihres habenden Geldes halber, oder was sonst die Ursachen seyn können, entführen, selbe ihm heim- oder öffentlich für oder nach der Verkuppelung oder Entführung, in- oder außer der Stadt, von ordentlichen oder fremden Predigern sich trauen lassen würden; das solche

2) Et pa-  
rentum:

Handlung, ob solche Partheyen sich gleich eydlich vertrüppfen, als an sich nichtig, krafftlos und von keinen Würden, auf Summarisches Anrussen so fort das für erklärret, und für keine Ehe geachtet noch gehalten, sondern als zu Recht, und dieser Verordnung nach ungültig und unbündig cassiret, und das Gelübde vernichtet werden sollen. Ut adeo in probatione sponsaliorum etiam eorum consensus docendus & demonstrandus sit.

## §. III.

*Quid si parentes postea mortui, an sufficiat probatio consensus contra hennium.*

Non possum non hic de eo casu agere quem Doctores non tangunt, in facto tamen extitit, si scil. iuuenis cum puella sponsalia, serio ac deliberato animo, contraxerit, sed non adhibito matris consensu, pater enim iam mortuus erat, & post sponsalia illa contracta decedat mater, iam agat puella ad consummationem matrimonii: reus, conuictus re vera sponsalia intercessisse, excipit, matrem non consensisse, & sic esse sponsalia clandestina, quæritur ergo, an fundata sit exceptio haec? Videtur quidem eam fundatam esse, quia sponsalia sine parentum consensu contracta sunt nulla, quod autem nullum est, nec potest tractu temporis conualescere. At vero eiusmodi sponsalia non sunt absolute nulla, sed tantum intuitu parentum, & in gratiam eorum, utpote, cum contra reuerentiam parentibus debita sit, & potius in eorum iniuriam tendat, illis iniuitis matrimonium contrahere: illis ergo mortuis valida erunt sponsalia, ob naturalem, quæ iis inest obligacionem, & quia ante adducta ratio cessat: Vbi autem ex speciali ratione lex communem libertatem restringit, cessante ratione etiam ipsa cessat restrictio.

## §. IV.

## §. I V.

Cum vero communiter sponsalia in publica & *Anetiam re-*  
*clandestina distinguantur*, ad illa autem non tantum *fides sponsaliorum*  
*consensus parentum*, sed & *testium præsentia*, si pa-  
*bus adfuisse*  
*rentes non adsint*, requiratur, alioquin hæc sponsalia *presentes*  
*nulla sint*, hinc quæritur, annon in casu, vbi parentes *probandum*,  
*non adsunt*, testes adfuisse necessario probandum sit?  
 Evidem non nego, id necessum esse, vbi præcise testes  
 ad solennitatem sponsaliorum requiruntur, & alias  
 sponsalia pro nullis declarantur; Enimvero eiusmodi  
 Constitutiones ex sana ratione interpretandæ, ne ab-  
 surdum inde ducatur. Nam primo tota illa distin-  
 ctio inter sponsalia quæ cum aut sine testibus contra-  
 huntur, nec iuris diuinæ, nec iuris naturæ, nec iuris ciui-  
 lis principiis conueniens est: omnia enim illa iura  
 volunt absolut, ut fides data sine distinctione seruetur.  
 Imo si recte attendamus nec iuri canonico hæc distin-  
 ctio conueniens est, licet hoc ius causam huic distinc-  
 tioni dederit. Quamuis enim in Lib. 4. Decret. reperia-  
 tur titulus: *de clandestina despunctione*, ipse tamen con-  
 textus docet, agi ibidem non de despunctione proprie-  
 dicta, sed matrimonio clandestino: igitur ex confusio-  
 ne sponsaliorum cum matrimonio, per errorem hæc  
 distinctio ad sponsalia tracta est; & insuper ex principio  
 Pontificiorum, quod matrimonium sit Sacramentum,  
 fluit, ut pluribus ostendit Dn. Præses in *Dissertat. de re-*  
*liqu. Sacram. in matrimonial. Cap. 2. §. 19. segg.* Iam er-  
 go, si rationem quærimus, cur statutis quorundam lo-  
 corum sponsalia sine testibus & clam contracta prohibi-  
 beantur, ad unum omnes respondent, quia ut pluri-  
 mum dolo, astutia, aut concusione altera pars ad con-  
 sen-

sensum adduci solet, & periuria aliaque incommoda  
inde nascantur, atque probari non possint, *Carpzov  
Iuriispr. Eccles. L. 2. def. 32.* Quodsi ergo casum suppo-  
namus, vbi duæ personæ sui iuris sponsalia deliberato  
animo contraxerunt, sed ex iustissimis causis ea publi-  
care nondum voluerunt, & ita testes non adhibuerint,  
vterque etiam id confiteatur, & tamen altera pars sub  
hoc prætextu recedere velit, quia testes non adfuerunt.  
Hic quia omnis ratio prohibitionis cessat, non puto, sta-  
tuta illa ad hunc casum posse applicari, ob manifestum  
alterius dolum, cuiusmodi deceptoribus nulla iura suc-  
currere velle præsumuntur. *L. auxilium 37. in fff. de  
minor.* Hinc eiusmodi particularia statuta, vt in Saxo-  
nia, non extendenda ad alias Prouincias, sed vbi non  
expressè & specialiter omnia indistincte sponsalia sine  
testibus contracta pro nullis habentur, vt in patria  
mea, ciuitate Hamburgensi, tale non inuenitur, nec  
præter consensum parentum, tutorum & agnatorum,  
testes requiruntur, ibi ex iure communi res decidenda.  
*Conf. pluribus hac de materia Dn. Præses Diff. de Nutu-  
ra Sponsal. & diuisione Cap. 4. §. 2. & pluribus sequ.* Imo  
quandoque in ipsis illis constitutionibus particularibus  
quibus prohibita sponsalia clandestina, additur, hoc non  
eo tendere debere vt alteri occasio detur decipiendi  
puellam & postea deserendi; vt videre est ex *Const.*  
*Brunsvic.* cuius infra in *Responso adiecto* mentio fa-  
cta est.

## §. V.

*Quod modis  
probari spon-  
salia possint.*

Iam vt ad ipsam probationem accedamus, no-  
tum est, variis modis fieri solere probationem; scil. (1)  
per confessionem (2) per testes (3) per Instrumenta (4)  
per

per confessionem (2) per testes (3) per Instrumenta (4)  
per iuramenti præstationem & (5) per præsumptiones,  
hinc dum de probatione sponsaliorum agere animus  
est, singulas eius species diuersas, ordine pertractabi-  
mus, ut inde apparet, quid ad veram probationem  
sponsaliorum requiratur.

## S. VI.

Primo itaque de confessione partium agendum, *An sola con-  
fessione ex-  
tra judicialis  
probari pos-  
sunt sponsalia.*  
tanquam probatione omnium certissima & optima.  
Hic vero pro diuersis casibus diuersimode responden-  
dum. Primo ergo queritur, an ad probationem re-  
quiratur tantum confessio judicialis, annon & extraiu-  
dicialis sufficiat? Videtur quidem affirmandum esse  
prius membrum quæstionis, posterius autem negan-  
dum: ideo, quod cum communiter confessio extrajudi-  
cialis plenam fidem non faciat, sed tantum præsum-  
ptionem, unde & illi sententiæ accedit Brouwer. *tract.*  
*de Iure Connubiorum L. 1. c. 23. n. 7.* qui tamen excipit  
casum, si geminata fuerit confessio, aut parte præsen-  
te coram legitimis testibus facta, tum enim extrajudi-  
ciale cum judiciali eandem vim probandi habere;  
At enim vero, cum nemo de facti veritate certius de-  
ponere possit, quam qui ipse contraxit, non video qua-  
re seria eiusmodi confessio illius personæ quæ nunc  
sponsalia inire detrectat, non pro vera habenda sit, ma-  
xime cum quasi contra se ipsum confiteatur, ubi, cum  
matrimonium tanti præiudicii res sit, non præsumitur  
confessio falsa. *Vid. L. 2. C. de transact. L. 13. C. de N. N. P.*

## S. VII.

Alia quæstio est, si quis coram testibus Spon-  
salia contrixerit, & postea confiteatur, se jam alii puel-

*An per con-  
fessionem  
læ sponsaliorum*

*posteriora  
sponsalia pu-  
blica dissolu-  
possint?*

læ fidem de matrimonio contrahendo dedisse, nec alia huius sponsionis adsit probatio, quam nuda illius confessio, de qua agit Brouwer *cit. l.* Nam hoc facile concedo, tunc solam confessionem plenam fidem non mereri. Excipit quidem Brouwerus casum, si prior sponsa iam imprægnata sit, tum enim præter confessionem stupratoris etiam graui præsumptione eam adiuvari, itaque potiorem rationem partus, quam secundæ sponsæ & intactæ habendam esse. Verum ut hoc locum habeat & ipsius feminæ imprægnatæ confessio, & ut revera grava sit, requiritur; ut ita non possit hic effectus soli confessioni stuprationis adscribi.

### §. VIII.

*An per con-  
fessionem  
securam pri-  
era sponsalia  
clandestina  
convaliden-  
tur.*

Hæc vero quæstio maioris momenti est, si quis cum virgine honesta, ubi uterque sui juris est, sponsalia contraxerit deliberato animo, sed nullis adhibitis testibus annon tum per confessionem subsecutam convalidentur sponsalia? Negat id Carpz. *Iurisprud. Conf. L. 2. def. 35. & L. 5. Resp. 109. n. 17.* Cuius sententia admitti potest in Saxonia & ubi sponsalia sine testibus contracta pro clandestinis habentur: ibi enim stat pro ratione voluntas Legislatoris; Verum quod Carpzovius illam sanctionem etiam rationibus sanis convenire afferat, id frustra ab eo fit. Nam potissima ejus ratio hæc est, quia pro forma essentiali sponsaliorum publicorum requiritur, ut contrahantur in præsentia testium; Ast concedo hoc de sponsalibus publicis, sed quæritur an in genere, præscindendo ab illa distinctione inter publica & clandestina, ad essentialiam sponsaliorum requiratur, ut testes adhibeantur? id quod constantissime nego, cum solus consensus producat obli-

gatio-

gationem. Et quæso an tantum ad illam fidem servandam obligamur, quam coram testibus dedimus, an non & sine testibus datam? Clandestina sponsalia ideo statutis prohibentur, quia ut plurimum dolo & falsis persuasionibus inita, non ergo adhuc casum id extendum, ut supr. §. IV. dictum.

## §. IX.

Quæ cum ita sint, nunc porro eorum sententia ad examen revocanda, qui asserunt, Confessione quidem sponsalia probari posse & nullam esse meliorem probationem, quam proprii oris confessio; attamen si illa fieret & spectaret ad dissolutionem sponsaliorum, vel præjudicium sponsaliorum publicorum postea contractorum, eam fidem nullam facere nec quicquam probare Cypræus de iure connub. cap. XIV. §. 20. n. 2. Verum hanc sententiam quoad prius membrum omni rationi naturali refragari facile ostendi potest. Primo enim hic non agitur de sponsalibus dissoluendis, sed de quæstione an contracta sint sponsalia, an securi, de quo non melius, quam ex confessione partium constare potest. Et sit etiam, ita per consequens dissolui sponsalia si forte illa contracta & despontati dicent, se nulla contraxisse, quid inde? Nihil tam naturale est, quam eo modo quidue dissolui quo colligatum est, & sic mutuo dissensu. Ait tota illa sententia, qua Dd. omni modo pro matrimonio potius, quam contra illud iudicare solent, cuius varia exempla in sequentibus occurront, ex solo Pontificiorum principio, quod matrimonium sit Sacramentum, atque adeo favorable, & omni modo cauendum ne dissoluatur, sed potius promoueatur, profluit; cum

*An confessio  
tantum pra-  
bet pro spon-  
salibus, non  
contra.*

nulla alia solida ratio dari posit. Cum enim matrimonium tam arduum negotium sit, quod illos, qui non satis provide id ineunt, in summam miseriam totius vitae, ino saepius & in periculum salutis æternæ perdere possit, omni modo cavendum est, ut potius in dubio, ubi res adhuc integra & sponsalia tantum contraria, illa dissolvantur potius, quam ut inuiti ad consummandum matrimonium compellantur.

## §. X.

*An confessio probet contra Sponsalia posteriora?*

Quod vero alterum attinet membrum, quod sc. confessio non probet in præiudicium sponsaliorum postea publice contractorum; tum utique, si priora clandestina fuerint, posteriora præferuntur, sed inde non sequitur per confessionem nihil probari, probata enim sunt sponsalia, quamvis clandestina; Itaque aliud est, an confessio illa faciat probationem, an vero relevet hæc probatio.

## §. XI.

*An confessio debet esse acceptata.*

Neque hoc præcise necessarium est, quod Cypræus cit. l. n. 3. subiungit, ut confessio afficax sit, necessarium esse, eam acceptatam esse. Nam illa acceptatio non est de necessitate, sufficit, quod alter negotium serio confessus fuerit, acceptatio enim hic præsumitur. Nam dum quis ad impletionem sponsaliorum agit, & se in confessione alterius fundat, sine dubio illam tacite acceptavit.

## §. XII.

*Quomodo testibus fiat probatio.*

A probatione per confessionem alterius ad probationem per testes progrederior, ubi cum non certus numerus testium legibus præscriptus sit, duo sine dubio sufficiunt. Oportet autem ut sint idonei, nam quæ

ex-

exceptiones alias testem repellunt, illæ etiam in hoc negotio obstant.

### §. XIII.

Videamus autem inspecie quinam ut testes admitti possint, vel non. Et primo quidem, an minor XXV. annorum pubes tamen possit esse testis. Ne-  
gat hoc Cypræus de *Iure Connub.* cap. 14. §. 4. n. 2. idque ex ratione quod in causis criminalibus non admittatur; causæ autem matrimoniales criminalibus comparantur. At vero dupliciter hic responderi potest, primo, in citata ab ipso L. *Teslmonium 1. ff. de Te-*  
*flib. nihil* hac de re inveniri, sed in genere statuitur omnes illos testes esse posse, in causis civilibus & criminalibus, qui non in specie prohibentur: deinceps ex ipsa quotidiana experientia constat, hoc in praxi nullo modo attendi. Neque semper a criminalibus ad matrimoniales causas valet argumentum. Quin quod sëpe iam minores matrimonia contrahant, quod maius est, quam testem esse de contractis sponsalibus.

### §. XIV.

Nec viles & pauperes admittit Cypræus, & ad L. 3. ff. de *Tesl.* provocat; Verum ipsa lege inspecta adparet, ibi quidem rationem conditionis in teste habendum esse; sed potissimum eo respiciendum esse velle ICTUM, an honestæ & inculpatæ vitæ sit; quod si ergo hoc etiam in vilis conditionis homine & paupere reperiatur, sine dubio etiam eius valebit testimonium. Vti &, quod postmodum subjungit, nec admittendos esse milites stipendiarios, quod infames infamiam facti quodammodo censeantur, & mentiri

B 3

pro

*An viles &  
pauperes.*

*Et milites  
stipendiarii.*

pro nihilo ducant, plane omni fundamento disstituitur,  
& cum hodie omnes fere milites stipendarii sint, in  
magnum eorum injuriam tenderet.

## §. XV.

*An consan-  
guinei.*

Contra vero admittit Cypræus Parentum &  
Cognatorum testimonium in causis sponsaliorum, mo-  
do conjuges pares sint, nec magna adsit inæqualitas  
diuitiarum honoris & dignitatis aliarumque qualita-  
tum *Tr. de sponsal. C. 14. §. 5.* Verum uti eorum testi-  
monium in aliis causis non admittitur, etiam hic non  
facile admittendum esse puto, cum ejusmodi testimo-  
nium vix a suspicione liberum esse possit. Provocat  
quidem ad c. 22. *X. de testib.* Sed ex illo textu sumi-  
tur argumentum contrario sensu, quod ut plurimum  
fallit: insuper jus Canonicum hac in parte suspectum  
est, utpote quod ex principio suo, quod matrimonium  
sit Sacramentum, illud magis promovet quam impe-  
dit. Cum tamen matrimonium contrahere res ma-  
ximi sit præjudicii,

## §. XVI.

*Admittunt  
ur certis  
casibus.*

Interim tamen admitti potest inspecie parentum  
testimonium, quando agitur de probando consensu  
parentum, tum utique non melius de eo, quam ex  
eorum testimonio constare potest. Deinde etiam, si  
alii testes deficiant, admitti possunt si non ad plenam  
probationem, tamen ad faciendam præsumptionem.  
*Hinc & Brouwerus de Iure connub. L. c. 23. n. 12.* non in  
totum reprobari debere eorum testimonium, nec in  
totum approbari, rectissime assertit.

## §. XVII.

*An domi-  
stici.*

Ex eodem quoque fundamento iudicandum, an  
do-

domesticorum testimonium admitti debeat? quod etiam regulariter negandum est, ita ut tantum vel concurrentibus aliis probationibus vel in defectu illarum admittantur, & judicis arbitrio relinquendum sit, quantum fidem faciat.

### §. XVIII.

Quid vero de proxenetis seu mediatoribus sponsaliorum dicendum. Vocatur autem proxeneta *An proxeneta utra.* voce græca προξενός concilio, unde προξενία quasi conciliator, conglutinator, quorum usus insignis est in patria mea inter mercatores. Sunt vero alii autoritate magistratus constituti, alii voluntate partium electi, vid. *Ordin. Hamburgensis von den Rückern, de Ao. 1660.* Hi autem cum & in contrahendis sponsalibus operam suam saepe præstare soleant, quæritur an ad probationem admittendi? Videtur affirmanda quæstio, ideo quod quam optimam notitiam habere possint, quo usque in tractatibus sponsalitiis conventum fuerit: At vero eorum testimonium ideo non leviter suspectum est, quod præsumatur eos potius pro perfectis sponsalibus, quam contra, esse deposituros; cum alias lucrum ipsis promissum, quod proxenetica, seu ut Alciatus *disputat. L. 1. c. 22.* vult Proxenetria vocari solet, Cuiac. *L. II. obs. 48.* non acciperent; ut adeo propter eorum proprium interesse, quod hic concurrit, admittendi non sint, conf. Cypræus *cap. 14. n. 8.* ubi adducit Baldum & Zasium ut dissentientes. Limitat autem sententiam suam, si pars utraque consentiat; At vero hoc in omnibus aliis etiam testibus suspectis obtinet, adeoque non est specialis limitatio.

### §. XIX.

## §. XIX.

*An mulieres.*

Disputatum etiam est an mulier in matrimonialibus ad testimonium admittenda sit. Sunt qui illam non admittunt, ideo quod causae matrimoniales comparentur criminalibus, in his vero non admitti mulieres, ob imbecillitatem sexus, inde nec apud Hebraeos ad testimonium admissos esse Joseph Lib. 4. *Antiqu. c. 5.* testatur, quam sententiam etiam Platonem secutus est *L. I. de Legibus* nisi XL. annum excesserit. Verum, quicquid sit, non potest imbecillitas sexus impedire usum sensuum, testes enim tantum de sensu suo depo- nunt; cum itaque hodie in genere admittantur mulieres, etiam in criminalibus *L. 18. ff. de Testib.* Farinac *de Testib. qu. 59. n. 17.* Mascard *de Probat. concl. 762. n. 11.* si ne dubio etiam in matrimonialibus earum plene probat testimonium. Farinac. *cit. l. n. 33.* Ioh. Campegius *de Testib. reg. 125.* Cypræus *l. §. 7.*

## §. XX.

*Quot testes  
requirantur.*

Interim tamen plena hic probatio requiritur, & sic duo testes omni exceptione maiores sufficiunt, cum certus numerus ceu in testamentis, hic non sit determinatus, hinc, vti in criminalibus, ita hic etiam duo testes ad probanda sponsalia sufficiunt: hoc vero omni plane fundamento destituitur, quod Cypræus asserit *cit. l. §. 8. n. 2.* plus credendum esse testi vni pro matrimonio, quam pluribus contra testantibus, & Felinum ac Hostiensem pro illa sententia adducit; fluit enim illa sententia ex facto illo favore matrimonii, cuius causa ab omni regula recedi posse falsissime sibi persuadent nonnulli, prout iam supra pluribus hac de dictum est.

## §. XXI.

## §. XXI.

Ex hoc eodem fundamento verum est, quod Cypraeus *ibid. n. 3.* subjungit, hoc etiam speciale in causis Sponsaliorum esse, ut post publicationem attestationum & conclusionem in causa alios etiam testes producere liceat; scilicet ne ullo modo res dubia maneat, an etiam revera sponsalia contracta, an secus; cum & proinde sententia in matrimonialibus non possit transire in rem judicatam. Hoc ergo idem fermentum Pontificiorum redoleat, quod iterum illam restrictionem addat, *pro matrimonio, non contra matrimonium.* Cur enim non contra matrimonium? Cautius & melius est, secundum illud vulgatum juris assertum, rem intactam relinquere, quam post vulneratam causam remedium querere, magis alicui præjudicium inferri potest per compulsionem ad matrimonium, quam per dissolutionem sponsaliorum.

## §. XXII.

Sed & hoc singulare est, quod testes jam produceti & examinati, pro eruenda eo magis veritate, repetiti, & de novo produci & examinari possint, Cypraeus *cit. l. n. 4.* non vero ut ipse existimat pro matrimonio tantum, sed & contra, ex hoc modo adductis rationibus & fundamentis.

## §. XXIII.

Altera species probationis est, quæ sit per instrumenta, quæ si super ipso negotio rite confecta, plenam faciunt probationem, imo & sola scriptura privata, non quidem pro scribente, bene tamen contra illum plene probat. Quod si ergo quis per scripturam se alteri fœminæ obligaverit, quod ipsi perpetuo fidelis

*Etiam post publicationem attestationum novi testes producere possunt.*

*Testes jam produciti repetiti possunt.*

*Quomodo per scripturam sponsalia probentur.*

C.

esse,

esse, nullamque aliam amare velit, hoc ipso quin sponsalia probari possint, nullum dubium est. Maxime prout quandoque fieri solet, si & proprio sanguine chyrographum scriperit, ut ex Responso illustris Facultatis Juridicæ, in fine adjecto pluribus apparebit.

#### §. XXIV.

*Sponsalia inter absentes initia per literas probari possunt.*

Ita etiam probatio fieri potest per scripturam, quando sponsalia, quod sœpe fit, inter absentes contrahuntur, ubi ex literis facillime probari possunt. cuius rei exempla varia ex antiquitate adducit Cypræus *cit. cap. 9. §. 20.* Quod quidem negotium communiter per literas inter parentes tractari solet, sed nullum est dubium, quin etiam inter personas sui juris idem fieri possit: ubi ejusmodi Epistola plenam facit probationem, etiamsi sine die & consule, seu dato scripta Cypræus *§. 23. L. fin. ff. de Sponsal. L. 5. ff. de ritu nupt. cap. fin. de Procur. in VI.*

#### §. XXV.

*An ante declarationem alterius parentis licet.*

*Rationes negantium.*

Hic autem gravis oritur quæstio, inter Dd. valde disputata, si quis desiderium suum feminæ cuidam per literas exposuerit, & quod animus ipsi sit, eandem matrimonio sibi jungendi, declaraverit, an antequam illa ad propositum suum responderit, poenitere possit. Aut si quis a parente petat filiam, pater vero dilationem petat ad quatuordecim dies, sponsor ante lapsum termini recedere possit? Sunt hic rationes non leves ab utraque parte. Qui pro negativa pugnant, urgent, hoc casu videri mulierem ludibrio haberi, atque sic in dolo esse illum, qui sibi eam sponsam petuit, dolum autem nemini debere patrocinari; esse hoc negotium magni momenti, ad quod summa cum deli-

deliberatione accedendum sit, quod itaque semel placuit postea non displicere debet; levitatem summam esse, mulierem per literas petere & invitare, & antequam respondeat, animum iterum mutare, vid. Cypræus *civ. cap. 9. §. 22.* Contra vero qui a proposito *Rationes affirmantibus.* recedi posse affirunt, & ita affirmativam tueruntur, his potissimum nituntur rationibus: contractum non unius sed utriusque consensu perfici, antequam ergo alter consensum suum declaraverit, nondum adesse obligationem, & sic adhuc permisum esse ab instituto desistere, neque hoc in alterius tendere præjudicium, cum mulieri nullum adhuc ius quæsitum sit: ponderatis autem utriusque sententia rationibus, mihi tamen videtur præferenda esse sententia posterior idque ex ipsa æquitatis ratione. Notum enim est ex praxi, ut ut hoc negotium omnino arduum sit & summa deliberatione ineundum, plerosque tamen utplurimum sine sufficien<sup>t</sup> deliberatione, eoco impetu & amore, forma virginis vel divitiis, vel ob speratum inde honorem ductos ad sponsalia festinare, unde si forte erorem cognoscant, & infelix inde matrimonium metuant, ac ideo ante declarationem fœminæ recedere ve- lint, sine dubio magnum pro se favorem habent.

## §. XXVI.

Hac occasione dicendum etiam est de literis amatorii, quibus solent juvenes & feminæ amorem sibi invicem declarare, omnemque fidelitatem promittere, an ex illis sponsalia probari possint? At vero non licet ad hanc quæstionem absolute respondere, quandoque omnino sponsalia ex illis probari possunt. Itaque distincte hic agendum est, & primo considerandæ sunt

*An literæ amatoriae sponsalia probent.*

personæ, quæ ejusmodi commercium literarum inter se habent, deinde ipse tenor literarum inspiciendus.

*Sine consensu  
parentum  
non valet  
promissio li-  
teris facta.*

### §. XXVII.

Quod ergo ipsas personas concernit, inter quas ejusmodi est literarum commercium, illæ aut sui juris sunt, aut alieno juri subjectæ, hoc casu nulla valet promissio litteris facta, quia iis non concessum est sine consensu parentum sponsalia contrahere, etiamsi juramento fuerint confirmata, quia hocius non possunt juri parentum, imo & publico derogare. Imo & patre deficiente, si matris consensus, qui moribus requiritur, deficiat, nulla ex promissione literis facta nasci potest obligatio.

*Aliud si tac-  
te consense-  
runt.*

### §. XXVIII.

Ista vero exceptionem patiuntur, si parentes sciverint illud commercium literarum, literas etiam a-motorias legerint, & tamen non contradixerint, tum enim sine dubio consensisse videntur, secundum illam notissimam regulam in Cap. Qui tacet 43. de R. I. in. 6. quæ maxime locum habet in casu, ubi quis contradicendo actum impedire potuit & debuit. Huc etiam pertinet casus, si mater patre mortuo sciverit illam familiaritatem & plane ad puellam scriperit & eam familiam literis vocaverit, uti constat ex Responso in fine dissertationis adjecto.

*Non probant  
nisi expres-  
sam faciant  
sponsaliarum  
mentionem.*

### §. XXIX.

Quod si ergo tales sint personæ, quæ sive juris sunt, atque adeo sponsalia contrahere possunt, nunc etiam ad tenorem & contenta ejusmodi literarum respiciendum. Nam non semper ex ejusmodi literis probari potest, contracta inter eos esse sponsalia: sive enim inter

inter personas diversi sexus ejusmodi literæ variis blandimentis & contestationibus amoris aliisque ejusmodi illecebris refertæ, unde tamen non constat an etiam revera sponsalia intercesserint.

## §. XXX.

Hac occasione illa quoque tangenda quæstio, num accipiens literas amatorias, in quibus agitur de probacione matrimonii facta, si non contradicat, sed tacet, eo ipso consensisse videatur? Affirmat hoc Petrus Müllerus in *Diff. de literis amatoriis* th. 22. ubi has rationes adducit, quod, licet in præjudicialibus taciturnitas & patientia nequeat operari consensum, quoniam tamen matrimonium etiam sine verbis contrahi potest, nec de substantia matrimonii verba sint, quod in muto & surdo patescit, hinc taciturnitatem illam inducere consensum & ratihabitionem. Verum facile unusquisque animadvertis, rationes has nullius momenti esse, nam matrimonium sine verbis potest contrahi, si ex aliis actibus & signis de voluntate contrahentium constet, quod & in muto & surdo locum habet, sed hic nullum aliud signum adest, ergo sola acceptatio literarum, quamvis ad ea non responderit, non facit præsumptionem consensus. Videtur id agnoscere Müllerus, inde subjicit, non excludi hoc ipso arbitrium judicis, quanta ex ista taciturnitate oriatur præsumptio. Sed quomodo nunc judex arbitrari debet. Existimo duos separandos esse casus, an quis per literas amorem suum foeminæ declaraverit, sibi tanquam futuram conjugem expetierit, Wenn er die Unverbung gethan, hoc casu licet has literas puella acceptaverit, legitur, & non ad eas responderit, nec minima tamen

*An ex literarum receptione probari possit consensus?*

præsumtio exinde contra eam nasci potest; alius vero est casus, si in literis illis sponsaliorum jam inter illos contractorum mentio fiat, tum non dubium est, magnam inde nasci præsumptionem, si adhuc tacuerit. Plura qui de literis amatoriis desiderat, audeat *Dissertationem Mülleri* antea citatam, pro instituti ratione hæc sufficere poterunt.

## §. XXXI.

*An per delationem iuramenti probatio fieri possit,*

*Negantibus rationes;*

Postquam de probatione per confessionem, per testes, per instrumenta seu scripturam actum est, nunc etiam de probatione per delationem juramenti ut agam, ordinis ratio exigit. Solet autem juramentum deferri vel a parte in judicio, vel a judice ob defectum probationis. Prius ergo videamus, an locus sit delationijuramenti? Evidem videtur nullum hic subesse dubium, quia omnibus permisum est auctoribus in quoconque causa deferre juramentum, ipsumque ad eo in propria causa iudicem constituere. Et tamen plerique Dd. non tantum Pontificæ, sed protestantium religioni addicti, hoc in casu allato non admittunt, sed tantum quando affirmanti sponsalia contracta esse juramentum defertur, sive, ut loquuntur, valet jumenti delatio pro matrimonio, non contra, idque ex variis rationibus, quarum præcipuæ hæ sunt, quod magnus favor sit matrimonii, illudque indissoluble, nec per delationem juramenti alterius arbitrio relinqui possit, an ab eo recedere velit, hinc nec ullam valere contra matrimonium transactionem, Carpz. Jprud. For. P. 1. C. 52. def. 30. & Jprud. Eccl. L. 2. d. 233. & L. 3. def. 44. Brukner. Decis. matrim. c. 2. q. Cypræus de jure connub. c. 14. §. 18. Joach. de Beust. de jure connub. P. 1. c. 47. aliisque.

## §. XXXIII.

## §. XXXIII.

Verum nititur tota hæc sententia falso pontificio-  
rum asserto, quod matrimonium sit sacramentum, <sup>Sententia ap-</sup>  
cujus jam supra mentio facta, hinc nihil admittere vo-  
lebat Canonistæ, quod ulla modo illud impedire  
posset, interim nostri improvide illos secuti, non con-  
siderando fontes, unde ille favor matrimonii fluxerit,  
cum tamen matrimonium sit res admodum ardua &  
periculi plena, ut jam supra diximus. Deinde con-  
fundunt sponsalia cum matrimonio, concedi enim  
potest, non licere per delationem juramenti rescindere  
matrimonium jam contractum, nec valere transactio-  
nem ad rescindendum matrimonium; sed longe alia  
ratio est, quando agitur de sponsalibus non dissolven-  
dis, sed tantum ad probandum, an revera sponsalia  
contracta fuerint, an secus, hinc etiam per transactio-  
nem a sponsalibus recedere, utique licet vid. B.Dn. Stry-  
kius de *dissensu sponsalitio Sect. II. per totam*. Scilicet matrimo-  
nium est indissolubile, sed non sponsalia, ab his er-  
go recedi potest, non ab illo, hic res ubivis integra, ibi  
non, nec post contractum matrimonium omnia in pri-  
stimum statum restituti possunt, cum per conjunctionem  
carnalem jam unio carnis contracta, quod fundamen-  
tum est indissolubilitatis: quæ omnia sine dubio cessant  
in sponsalibus, non ergo debet argumentum formari, a  
diversis ad diversa. Plura hac de quæstione non addo,  
cum de ea jam ex professo egerit Dn. Præses in *speciali*  
*Dissertatione de delatione juramenti in matrimonialibus*, quæ  
habetur inter meletemata Ejus de *juramentis N. IV.*

## §. XXXIV.

Sequitur juramentum necessarium quod judex <sup>De juramen-</sup>  
parti <sup>to necessario</sup>

Doctorum  
diffensio.

parti desert ob inopiam probationis, ubi illi, qui semiplene probavit suppletorium, si vero nec semiplene probatum alteri purgatorium desert, ut se purget juramento ab indicis ex probatione licet non semiplena contra se militantibus. Hic autem primo omnium iterum pro fundamento habent, quod si pars sponsalia vel matrimonium promissum vel contractum non esse, jurare parata sit, non ei deferendum juramentum suppletorium a judice, etiamsi testem haberet unum omni exceptione majorem, quo casu alias locus est juramento, Cypræus de lune connub. c. 14. §. 18. admitti tamen hoc, si actor in favorem matrimonii se offerat ad juramentum suppletorium, & sit vir frugi, qui apud omnes integratatis opinionem & laudem habeat: Ast non convenienter inter se Dd., quidam enim suppletorium juramentum plane non admittunt, ut Joach. de Beust. de jure connub. p. 1. c. 41. ex ratione, quia matrimonium causæ æquiparatur criminali, ubi probationes luce meridiana clariores requiruntur, idem statuit Carpzovius Jurisprud. for. p. 1. c. 22. d. 3. n. 3. ex ratione, ne reus nolens volens, si actor juraverit, in matrimonium detrudatur contra libertatem matrimonii; & tamen hoc juramentum est pro matrimonio, non contra. Imo hoc mirandum, quod Carpz. in eadem definitione n. 4. reo permittat purgatorium, quod est contra matrimonium. Ita ergo juramentum delatum a parte non valet, si tendat contra matrimonium, valet tamen purgatorium, quamvis hoc etiam tendat contra matrimonium. Idem cum Carpzvio statuit Joach. de Beust. cit. tr. c. 48. ubi plures adducit formulas, ubi reus admittitur ad purgatorium et iam

iam in illo casu, si fateatur stuprum, & neget promissionem matrimonii. Adeo Doctores hac in parte sibi ipsis non constat. Unde & recte a communi Doctorum sententia recedit Brouwerus *Tr. de iure connub.* L. t. c. 23. n. 21. seqq. ubi & ostendit, errorem inde provenisse; quod confundantur sponsalia cum nuptiis, nulla, inquit, *hodie sponsalia, licet verbis de praesenti concepta, nuptias constituant, ut nullus, ne forte separetur matrimonium, hodie possit esse metus conf.* Dn. *Præses cit. Diff. de delat. jur. in matrim.* §. 27. & 28.

### §. XXXV.

Ut itaque quid tandem dicendum addam, ita *Vera sententia.*  
existimo, quibus casibus in aliis causis juramentum necessarium deferri solet, hic etiam deferendum esse, ita tamen ut facilius purgatorium reo injungatur, quam actori suppletorium, quia res maximi præjudicii, alterum compellere ad matrimonium ineundum, ceu & ipsi Dd. ante citati, qui tamen tantopere pro favore matrimonii pugnant, fatentur.

### §. XXXVI.

Jam ad quintam probationis speciem me converto, scilicet quæ fit per præsumptiones, ubi primo hæc quæstio præjudicialis est, an valeat hic probatio per præsumptiones? quæ prima fronte neganda videtur, cum enim cause matrimoniales criminalibus comparari soleant, & in criminalibus ex præsumptionibus nemo condemnandus sit, sed probationes luce meridiana clariiores requirantur *L. fin. C. de probat.* hinc idem etiam hic locum habere debere. At enim vero plerique tamen Dd. in ea opinione sunt, in defectu alterius probationis, recurrentum esse ad præsumptiones,

*An per præsumptiones possit fieri probatio.*

D

non

non ut sufficient ad condemnationem, sed quod tamen aliquam faciant probationem & indicia, uti & in criminalibus non omnes præsumtiones & indicia negliguntur ac rejiciuntur, cum tantum effectum habeant, ut non quidem ad condemnationem, bene tamen ad torturam sufficient.

### §. XXXVII.

*Quid ad eam  
requiratur.*

Circa hunc autem probatidi modum bene notandum est, ejusmodi præsumtiones nasci ex certis actibus & signis, ubi requiritur, ea ita comparata esse debere, ut si non directo exinde sponsalia probari possint, tamen valde probabiliter, & ex justa ratione ad sponsalia inde concludi possit. Deinceps nec ex una harum præsumtione probatio desumi potest, sed si plures diversæ præsumtiones concurrant, simul juncta aliquam faciunt probationem, secundum illud vulgatum: quæ non juvat singula, juncta juvant. Tandem vero & hoc præmonendum, non sufficere præsumtiones, ut quis compelli possit ad matrimonium ineundum, nec plenam facere probationem, eum tamen affectum habere, ut vel purgatorio vel suppletorio juramento locus esse possit.

### §. XXXVIII.

*Indicia spon-  
satorum vel  
remota sunt,  
vel proxima.*

Neque tamen omnes præsumtiones & indicia quæ ex his vel aliis circumstantiis oriuntur, ejusdem valoris sunt, sed multum inter se differunt. Alia enim sunt indicia proxima, alia remota. Illa sunt, quæ valde probabiliter concludunt ad sponsalia; haec autem, quæ non nisi indirecte præsumtionem inducunt, & sæpe falere possunt, uti ex subjectis exemplis patebit.

### §. XXXIX.

*Ad proxima*

Ut ergo a proximis indicis incipiamus, quæri-  
tur

tur primo de concubitu, in casu scilicet, si puella prætendat, reum cum ea sub promissione matrimonii concubuisse eamque imprægnasse, ipse vero fateatur concubitum, sed neget promissionem matrimonii, an ex hac confusione nascatur præsumtio promissi matrimonii? Hic vero distincte respondendum est, an æqualis, vel saltem non plane inæqualis sit utriusque conditio, tam ratione personarum, quam bonorum & aliarum qualitatum, an vero omnino sint disparis conditionis, & foemina, vilis, inhonesta, aut alias suspecta. Illo casu præsumtio est contra eum, qui concubitum fatetur; cum præsumtio juris sit delicti exclusiva, & ita non præsumatur puella concubitum admisisse, nisi sub spe promissi matrimonii, ita ut hæc præsumtio si aliæ circumstantiæ concurrent, eum effecitum habere possit, ut reus iuramento se purget. Hoc vero casu nulla inde nascitur præsumtio promissi matrimonii, nec meretur præsumptionis favorem, extra matrimonium reprehendenda seorsum, reipubl. enim interest, hanc ianuam non aperiri, ne viles & nullius conditionis virgines studeant nobilibus & honesto loco natis adolescentibus inter suavia & amoris lenoncinia oblato concubitu, verba quædam sponsalia inferentia extorquere, quæ postea sedata libidine, illi negare jurejurando non auderent: sunt verba Brouweri *Tr. de jure connub.* L. 1. c. 23. n. 25.

## §. XL.

Maior præsumtio nascitur ex eo, si duo se invicem sponsum & sponsam appellant, cum non præsumendum sit eiusmodi appellationem permissuram fuisse puellam, si non inter illos sponsalia intercessissent.

*Cypreas de jure connub. cap. 14. §. 14.*

D 2

refertur con-  
cubitus.

Appellatio  
sponsi &  
sponsæ.

## §. XLI.

## §. XLI.

*Annuli da-  
tio.*

Inter illa, quæ a despontatis sibi invicem præsta-  
ri solent in signum despontationis & mutui amoris,  
annulus est, hoc enim communi consuetudine Ger-  
maniæ primum esse solet post promissionem factam,  
antequam etiam publica contracta fuerint sponsalia,  
unde annulus *pronubus* vocatur, quia ante nuptias dari  
solet: quæritur itaque, annon exinde præsumtio ali-  
qua nascatur? Affirmant id Dd. vid. Cypræus *cit. c. 14.*  
§. 12. Verum existimo per se inde nullam nasci præsum-  
tionem, verum si familiaris conversatio accesserit, iu-  
venis foemina ut sponsam tractaverit, & alia admi-  
nicula concurrent, tum utique præsumptionem facit,  
conf. Brouwer *Tr. de jure connub.* *cit. cap. 23. n. 17.* Im-  
primis vero, si annulus datus non sit levioris pretii,  
sed, respectu illius qui dedit, alicuius momenti, cuius-  
modi annulus dari non solet simplicis amoris causa,  
quod si & puella ex sua parte vicissim aliquid, quod non  
exigui pretii est, donaverit, non levis inde initorum  
sponsaliorum nascitur præsumtio de quo casu pariter  
in responso subiecto actum est. Ceterum conferri hic  
meretur Petrus Müller *de annulo pronubo spee. Diff.*

## §. XLII.

*Ad remotio-  
ra pertinet  
osculum.*

Inter remotiora indicia refero, osculum si quis puel-  
læ dederit, cum exinde non statim præsumatur animus  
sponsalia cum foemina contrahendi; Distingui in gene-  
re oscula solent in oscula reverentiaz, benevolentiaz &  
amoris. Nos ergo de his agimus. Hæc autem itidem di-  
vidi solent in honesta & libidinosa; honesto & licto osculo  
apud soles conjuges locum esse, ut etiam despontæ  
excludantur personæ, quia oscula fiunt in præludium  
con-

concubitus, & cum hic ante benedictionem sacerdotalem prohibitus sit, cessare etiam debere actum ad eum disponentem, existimat Romanus *spec. Diff. de osculo* §. 15. Sed nimis rigida est hæc Philosophia, neque enim oscula semper dantur ea intentione, ut sint præludium concubitus, & cum inter personas desponsatas licitus sit amor & honestus, cur oscula sibi invicem in signum amoris dare pro illicito haberri debet. Cum itaque tale quid tantum inter coniuges aut desponsatos liceat, queritur annon exinde nascatur præsumtio contractorum sponsaliorum. Hic vero ante omnia ad mores Provinciarum respiciendum est. In multis enim locis oscula tantum benevolentiae signa sunt, ut in multis Belgii locis. Hinc Brouwerus *Tr. dejura con-nub. cit. c. 23. oscula*, inquit, *nobis Batavis humanitatis & mutuae benevolentiae signa sunt, non libidinis antecania, non adulterii, vel stupri procœdia, non prænuncii flagitiæ blanditiæ. Oscula creduntur ab honestis amantibus figi puellis Batavis, ut & basia, non vero suavia: inter que banc differentiam Donatus statuit, quod oscula officiorum sint, basia pudicorum affe-cluum, suavia libidinum: Nec adeo Zelotypi suspicioſi ac male feriati sumus, ut quedam gentes, quibus intacta non creditur virgo, que sibi osculum figi passa est, quasi basia nec accepi, nec dari possent, nisi a luxuriantे & lascivo animo.* Interim tamen cum hic mos non ubivis receptus sit, oscula sibi invicem dare testatur ad minimum de amore eorum inter se; unde quidem directo non fluit, quod sponsalia contraxerint, sed si tamen alia præsumtiones concurrent familiaris conversatio & similia, præsumtiones illas hæc augere potest.

## §. XLIII.

*Conversatio  
solitaria.*

Circa reliquos actus ex quibus quædam præsumtio nasci posset, nolo hærere. Pertinet huc conversatio, & maxime solitaria, unde quædam oritur, quod habuerint intentionem matrimonio se jungendi. Verum hæc, ut & alia quæ concurrere possunt indicia, judicis arbitrio unice relinqua.

## §. XLIV.

*In dubio an  
pro matri-  
monio an con-  
tra judican-  
dum.*

Hoc unicum adhuc considerationem meretur. Si causa sit dubia, & judex pro auctore & reo pronunciare possit, v. g. illi suppletorium, & huic purgatorium deferendo, in quam partem potius inclinare debeat? Quodsi secundum principia Pontificorum & nostrum Doctorum hæc quæstio decidenda, sine dubio dicendum esset, quod judex potius pro matrimonio quam contra illum judicare debeat. Interim tamen non dubito propter maximum illud præjudicium quod ex ipso matrimonio redundat, maxime si iniuti ad id ineundum compellantur, contrarium defendere, idque rationibus non meis, sed Brouweri *dejur.* *Connub.* cit. cap. 23. n. 5. ubi hæc verba habet: *Ille me sibi addictum habebit, qui ex his maverit, multum bac in re a iuris Canonici doctrina mores nostros recessisse.* Etenim gradus duntaxat & via ad nuptias contrabendas bodie nostra sponsalia sunt, etiam si quoque verbis presentis temporis concepta sint; nuptie ipse non sunt, quas respiciunt saltus futuras, non constituant nec operantur, ut bodie metus nullus esse possit (*cui precipuo fundamento innitiatur ius Pontificium*) dissolutis sponsalibus dissolutum iri contra Christi doctrinam contractum matrimonium. Et post aliqua: Favendum quidem, inquit, matrimonio contracto est, sed non ita controvertendo, & vix dissolvendus indissolubilis natura sua

cor-

*conjugii nexus, nec in duo discerpenda una caro nisi ob gravissimas rationes: Sed & non facile, imo nunquam, inviti non juncti conjugandi sunt, nec in unam carnem cogendi, quos diversos & distinctos retinet animorum dissensus, tum propter oneris gravitatem, cum propter inauspicati matrimonii metum.*

## §. XLV.

Colophonis vice liceat adhuc subiicere sententiam ab illustri Collegio Juridico hujus loci hoc anno conceputum, cum in rationibus ejus variis casus huc pertinentes simul decidantur. Et his verbis concepta est:

Hat Titius im Nahmen seiner Tochter Amalia wider *Pacti species.* Sempronium Klage erhoben, daß dieser seine Tochter zu heyrathen gesuchtet, und Klägern deshalb um seinen Consens angesprochen, auch zu dem Ende seine Mutter an den Ort kommen lassen, und sich beyde Theile mit einander versprochen. Er, Sempronius auch der Amalia zum Mahlschak einen Diamant-Ring, Sie hingegen ihm z. Diamantene Handknöpfe, und eine Diamante-ne Hünd-Schnalle geschenket, er auch noch dazu sich mit einem Eydbe treu zu seyn, verbunden, und gleichwohl vor z. Jahren davon zurück treten wolten; hat Beklagter hingegen dawider eingewendet, daß er niemahls sich mit Klägers Tochter ehelich verlobet, und obwohl etwas unter ihnen davon vorgegangen, er doch, da seine Mutter nicht darein consentiren wollen, billig davon abtreten können, er auch deshalb, was sie ihm geschenket, nebst ihren Briefen zurück geschickt, so auch Klägers Tochter angenommen, folglich solches, wenn auch dergleichen vorgegangen, nur pro sponsalibus clandestinis zu achten, indem, wann auch seine Mutter darein gewilligt, doch nicht zwey oder drei Zeugen dabei gewesen, welches doch in der doritigen Landes-Constitution de Anno. 1704. den 2. Jan. generaliter in allen Sponsalibus publicis erfordert wird, und daher auch diese Sponsalia, ungestandenen falls doch pro clandestinis zu achten, dahero gefraget wird: 1.) Ob *Quæstiones.* aus den angeführten erhelle, daß würcklich sponsalia vorgegangen seyen? oder

z. Ob

## TRACTATIO I.

32

2. Ob deren formalia noch mehrers und was vor Beweisest bedürffen?

3. Ob solche Sponsalia, wenn sie gleich erwiesen, oder erwiesen werden könnten, nicht der N. aet. 9. befindlichen dortigen Fürstl. Landes Constitution zu wider seyn?

4. Ob die vom Bell. Sempronio geschehene Zurücksenzung des, von Amaliae Seite empfangenen Præsents von einigen, und was effect sey? oder

5. Ob der animus, welchen man bey dessen Wiederannahmung von der Amaliae Seite geheget, noch besser zu erweisen und darzubringen sey?

Ob nur wohl, was die 1. und 2. Frage anlanget Beklagter beständig vorgiebet, daß ganz und gar keine Verlobung zwischen ihm und der Amalia vorgegangen, und ob sie gleich mit einander bekannt gewesen, und gar oft ganz allein mit einander gesprochen, sich auch mit Liebes-Diseursen unterhalten, er auch, weil sie gar bekannt gewesen, ihre Mutter Mama geheissen, dennoch niemahls die Intention gehabt, sich mit ihr zu verloben, solche Verlobung auch nicht geschehen, noch aus denen mit ihr gewechselten Liebes-Briefen zu schließen, hinerächst, daß er ihr eine endliche Versicherung seiner Treue gegeben, von ihm aus Leichtfinnigkeit geschehen, und sich anben auf seine Minorenität beruffet, endlich auch, daß solches alles wieder seiner Mutter Willen geschein, und daher, wann gleich dergleichen Verlobung vor sich gegangen, solches doch nicht anders als sponsalia clandestina anzusehen, folglich alles vor null und nichtig zu achten wäre,

Rat. decid. W. a. d. Beklagter Sempronius nicht in Abrede seyn kan, sondern öffentlich gestehet, daß er mit Klägers Titii Tochter, Amalia gar familiait umgegangen, von verliebten Dingen mit ihr gesprochen, und fast immer alleine bey ihr gewesen, sie einander auch reichlich, und zwar Er Sie mit einem Diamantenen Ring, und sie Ihn mit 2. Diamantenen Hemdschnallen beschenket, und nicht zu vermutnen, daß dergleichen kostbare præsente aus anderen Absichten, als wegen der unter ihnen vorgegangenen Verlobung geschehen seyn solten, aus dergleichen ganz familiairen

*Ad qu. 1 & 2.  
Rat. dubit.*

ren Umgang allerdings die presumption erwâchset, daß er sie zu heyrathen gesuchet, indem er auch ihre Mutter selbst seine Mama geheissen, und daß eine Verlobung wîrcklich unter ihnen vorgegangen, aus der mit seinem Blute und so grossen Eydschwüren verfaßten Verschreibung, so er des Klägers Tochter zu einer Versicherung aussestellet, ganz deutlich und augenscheinlich zu erkennen, auch die hernachmahls an sie geschriebene Briefe, darinnen er Sie seiner Treue versichert mit mehrern bestärken, folglich, was Beklagter anführt, daß solches nur ohne Verbindlichkeit geschehen, und ihm seine minorenitât zu statten kommen müssen, ganz unerheblich, da er über 20. Jahr alt gewesen, und wenn er noch so unverständig gewesen, keine Kriegs-Dienste bekleiden können, auch bekant, quod in matrimonialibus minorenitas gar nicht zu statten kommen kan, und da er sich auch gar eydlich gegen Klägers Titii Tochter verbunden, auf ihn auch das zu appliciren, was sonst in dens Rechten enthalten, quod juramentum ex minore faciat majorem.

Auct. *Sacram. puberum l. Si adversus vendition. &c.*

*Cephal. Consil. 34. n. u.*

*Brunnem. ad d. Auctent.*

endlich was den angeführten Mütterlichen dissensum betrifft, Beklagter Sempronius denselben gar mit nichts erwiesen, hingegen daß sie darein gewilligt, nicht unbillig zu schliessen, aus den von Klägern beygelegten Brief, darinnen Beklagtens Mutter die Amaliam ihre Tochter nennet, auch zulegt vermahnet, nicht gar zu sehr der Löffeleyn nachzuhangen, sondern fleißig zu beten, folglich da des Beklagten Mutter vorher 14. Tage in Klägers Hause gewesen, und nachhero einen solchen Brief geschrieben, ganz kräftig daraus zu schliessen, daß sie solches nicht nur müsse gewußt, sondern auch, daß sie gar nichts dawider einweder, contentiret haben. Über dem auch so wohl der Kläger selbst eydlich zu erhalten, als auch durch sei-

E

ner

ner andern Tochter eydliche Aussage zu erweisen sich erbieteret, daß Beklagte Mutter würcklich bey Klägern umb seine Tochter angehalten, und bekandt, daß im matrimonialibus dergleichen testes domestici, wenn keine andere zu haben sind, allerdings zugulassen, über dem allern auch des Beklagten Mutter nun mehr verstorben, und daher die Exceptio clandestinorum sponsaliorum völlig wegfällt, in Betrachtung, daß die sponsalia clandestina nicht in se & sua natura nulla sind, indem allerdinges naturalis obligatio vorhanden, sondern nur in favorem parentum, daß wider ihren Willen solche nicht zugulassen, mithin wann die Eltern gestorben, die ratio prohibitions cessiret, folglich Beklagte in dolo ist, daß er die der Amalie so theur verschriebene Treue unter solchen falschen praetext brechen will.

## Decisio.

So erscheinet hieraus allenhalben so viel, daß die Sponsalia zur Nothdurft erwiesen, und allenfalls zu deren ganz vollkommen Beweis klagenden Titii andere Tochter ad Testimonium dicendum zugulassen.

*Ad qu. 3.  
res. dubit.*

Ob nun wohl, anlangend die (3. Frage, Beklagter Sempronius sich insondere auf des Landes Constitution de Ao. 1704. M. Febr. beruffen, in welcher so gar die sponsalia clandestina verbethen zu seyn schienen, daß auch solche sponsalia pro clandestinis gehalten werden, wo nicht z. oder 3. Zeugen adhibitet, und da es dahero scheinet, daß wann gleich die Sponsalia zwischen Beklagten und Klägers Tochter zur Gnüge erwiesen, nichts desto weniger wegen dieses Edicti solche Sponsalia vor null und nichtig zu halten, indem, wann gleich Welt. Mutter consentiret, solche Sponsalia nicht in zweyer oder dreyer Zeugen Gegenwart vollzogen.

Weil aber dennoch hieselbst gar wol zu merken, daß in vorangezogener Landes-Constitution der Casus ausdrücklich ausgenommen, wenn einer dolose unter gemachter Hoffnung und Versprechen der Ehe eine Person induciret: verb.

Sol.

Sollte sich jedoch begeben, daß eine oder die andere Manns-Person ehrliche und ihres Wandels halber unbescholtene Weibsbilder unter gemachter Hoffnung und Versprechen der Ehe zu ungehörlichen Lust zu induciren, und sie um ihre Ehre dolose zu bringen sich unterstehen sollte, so soll in solchen Fall auf vorgesetzte requisita nicht gesehen, sondern der deflorator nach gemeinen Rechten zur wirklichen Berechtigung condemnirt werden.

Und hierbey ex antecedentibus consequentibus leicht zu schließen, daß diese Exceptio nicht so wohl in favorem deflorationis, als in odium dolosorum hominum innocentes virgines decipientium gemacht worden, und dann auch des Welt dolut in dieser Sache offenbahr, daß er, ungeachtet aller seiner theuren Versprechungen, ob er gleich des Klägers Tochter nicht defloriret, dennoch auf solche Art, und unter Versprechung der Ehe dolo maxime profano, sie zu betrügen getrachtet, überdem auch Thro Hochfürstl. Durchl. Herzog Anton Ulrich in einer declaration de Anno 1709. vom 4. Sept. vorige Constitution dahin ausdrücklich erklären, daß sie nicht also auszulegen, daß auch in dem casu, wenn die Eltern eingewilligt, und die Verlobte solches nicht ableugnen können, und sich solches in allen Stücken hieselbst befindet, auch nicht hindert, daß solche declaration an die Regierung nach Blankenburg geschiecket, indemne daraus deutlich voluntas ipsius Legislatoris erhellet, in mehrerer Erwiegung, daß auch solche declaration denen Rechten gemäß, da ad sponsalia publica nur die Zeugen erfodert werden, wenn die contrahentes keine Eltern mehr haben, im Gegentheil, wenn sie Eltern haben, deren Consens ad sponsalia publica genug ist.

Struv. Iprud. L. 1. Tit. 6. §. 3.

Endlich bey der Erörterung der vorigen Frage satisam angezeigt, daß wann es gleich diesen Gründen allen ungeachtet, pro clandestinis sponsalibus zu achten wären, dennoch durch den Tod des Welt, Mutter convalidiret werden.

*Decisio.*

So sind daher diese Sponsalia der N. act. 9. angeführten Landes-Constitution nicht zu wider.

*ad Qu. 4. &  
5. rat. dubit.*

Was nun leichtens die 4. und 5. Frage anlanget, so scheinet zwar anfangs, daß indem der Befl. die von Klägers Tochter erhaltenen Diamantene Hand-Knöpfe und Hemdschnalle nebst denen Liebes-Briefen ihr hinwieder zugeschickt und ihr alles außagen lassen, sie auch solche angenommen, sie dadurch allen ihren Rechten renunciret, und also die Sponsalia aufgehoben worden, oder zum wenigsten noch besser zu erweisen, quo animo sie solches wieder genommen.

*Rat. decid.*

Weil aber dennoch durch obgedachte Zurücksendung der ihr geschenkten Sachen zwar des Befl. Gemüth an den Tag geleget wird, daß er dem ganzen contract renunciret, hingegen, indem Klägers Tochter seinen ihr geschenkten Diamantenen-Ring nebst denen von ihm geschriebenen Briefen nicht wieder geschickt, folglich, daß sie von ihrer Seite von der unter ihnen gemachten Verbindung nicht abgehen wolle, in der That bezeuget, und auch über dem eine nicht unerhebliche Ursache anführt, warum sie diese Stücke, so ihr durch einen ganz unbekannten Menschen gebracht, nicht wieder zurück schicken wollen, und daher keines ferneren Beweises, quo animo sie dasselbe angenommen, vonnöthen, cum ex ipso facto adpareat, und allenfalls nicht anders, als durch ihre eydliche Bestätigung heraus gebracht werden könnte.

*Decisio.*

So erscheinet hieraus allenthalben so viel, daß die von Sempronio gehaner Zurücksendung derer Stücke, so er von Klägers Tochter Amalia geschenkt bekommen, keinen effect habe, sich von der obligation, damit er ihr verhaftet, zu liberiren, noch viel weniger nöthig, deshalb ferner, quo animo es Klägers Tochter angenommen, zu untersuchen.

Alles B. R. W.

TRA-



## TRACTATIO II.

### P R A E F A T I O.

**M**iraberis forte, beneuole lector, quod loco speciminis Academicci materiam elegerim, vulgatam plane & tritam, atque ab innumeris autoribus iam tractatam. Sunt enim non pauci qui eiusmodi desiderant themata, quæ rari aliquid, nouique, in se continent, ab aliis nondum obseruata. Verum hi similes videntur illi Astrologo, qui cælestia fidera contemplando, non attendens ea quæ ante pedes sunt, in socrum cecidit: Ita multi circa nouas, ut loquuntur, veritates detegendas, singularia querenda, & res maximi momenti edendas, nimium quantum occupati sunt, interim vero illa quæ quotidiana sunt & communia, tanquam nulla consideratione digna, negligunt, quæ tamen magna saepe emendatione opus haberent.

E 3

In-

Inter multa exempla, hic tantum mentionem facio, causarum matrimonialium. Quid vulgatus est, quid frequentius fieri solet, quam matrimonia contrahi? Interim tamen, quid circa hæc iustum æquumue sit, nondum satis inuestigatum est. Communis doctrina, tanto adhuc luto pontificiorum commaculata est, ut magna purgatione opus habeat. Quod cum agnouerit Dn. Praeses, & iam variis dissertationibus hanc rem aggressus fuerit, placuit aliorum vestigia sequi, atque in praesenti dissertatione de **OBLIGATIONE SPONSALIORVM** eorumque **DISSOLVTIONE** agere, ut pote circa quam materiam, multæ admodum inter Doctores, agitari solent controversiae. Vbi eo maxime tendit scopus, ut periculum faciamus, annon eiusmodi generalia principia & fundamenta ostendi possint, ex quibus facile speciales quæstiones decidi queant. Cum autem rubrica dissertationis bimembris sit, etiam duobus Capitibus constabit, ita ut Capite I. de Obligatione sponsaliorum eiusque effectu, Capite II. au-

II. autem de Dissolutione eorum agatur.  
Faxit Devs, vt & hoc, quidquid est, in Ipsius  
nominis gloriam tendat.

C A P. I.  
DE  
OBLIGATIONE  
SPONSALIORVM.

§. I.

**D**E Obligatione sponsaliorum acturus, non o-  
pus est, ut de fonte ejus fusius & per am-  
bagies hic agam; ut enim notum est omnem  
obligationem ex facto nasci, ita & hic non  
longe quærendum est factum; est enim illud de-  
sponsatio, quæ cum non nisi consensu utriusque fiat,  
ex ipso etiam consensu nascitur obligatio. Et cum  
Iure Romano sponsalia per stipulationem contracta  
fuerint, actio quoque extipulatu inde dabatur.  
Fundamentum tamen obligationis non verba erant,  
in stipulatione adhibita, sed contentus, per verba  
solemni ritu declaratus: ut adeo ex solo consensu nas-  
catur hæc obligatio.

Obligatio  
sponsaliorum  
nascitur ex  
consensu.

§. II. Hic vero antequam ad varios effectus hu- *Et quidem*  
jus obligationis procedam, necessario præmonendum *sponsalitio-*  
est, non confundendum esse consensum, qualis inter  
*de-*

desponsatos est, cum eo, qualis est inter illos qui matrimonium contrahunt. Vtrumque negotium consensu contrahitur, sed tamen multis modis inter se differunt, ex cuius confusione non pauci errores in praxin irrepserunt, dum multa sponsalibus adscribuntur, quæ matrimonio propria sunt.

Differunt  
Sponsalia a  
Nuptiis.

§. III. Ut ergo labyrinthum evitemus, in sequentibus paulo distinctius de diversa plane obligatione sponsaliorum & matrimonii agemus, ut eo facilius exinde specialiorum quæstionum decisio peti possit. Ubi ante omnia notandum, non omnes contractus consensuales ejusdem naturæ esse: ita aliis consensus requiritur in Emtione Venditione, Socierate, Mandato, Locatione, scilicet pro cuiusvis contractus natura. Itaque per se & sua sponte fluit, distinguendum esse inter consensum sponsalitium, & consensum matrimoniale, ille facit sponsalia, hic nuptias. Ex utroque nascitur obligatio, sed plane diversa. Agnoscit hanc distinctionem Gerhardus *in loc. Theol. loco de Conjug.*

§. 124.

1) Ratione  
Nominis.

§. IV. Ut autem nunc specialius ostendamus: in quibus differentia inter sponsalia & nuptias consistat, & quam diversi plane effectus ex utriusque obligatione fluant, potiora tantum adducemus. Incipiam autem a Nominis, ubi facile cuivis sanæ mentis parebit, quod secundum receptam communis usu significacionem sponsalia & nuptiæ diversa sint nomina, diversaque negotia denorare. Ceu & in patro idiomate longe aliud est, ein Verlobnis oder Hochzeit machen. Diferunt itaque tanquam antecedens & consequens.

Imo

Imo sponsa virgo pro injuria acciperet, si eam quis uxorem vocaret, & vice versa, si quis uxorem, sponsam & virginem diceret.

§. V. Nihilominus tamen sunt, qui existimant, Sponsalia coram Deo jam esse matrimonium. Siraines quæramus, duæ potissimum indicari solent. Et prima quidem, quod sponsa in Sacris literis vocetur uxor *Genes. XXIX. 21. Deut. XXII. 23. 24. Hof. IV. 13.* Provocant etiam ad verba Philonis Iudei qui *Libr. de cret.* legib. ad *Decal.* pertinent. *Sponsaliorum*, inquit, eadem que matrimonii vis est, cum viri & uxor̄is nomina, atque alia quedam in conventu & frequentia propinquorum prescripta sint. Unde etiam adulter vocatur & lapidibus obruitur, qui cum puella, quæ alteri viro despontata est, concubit. *Deut. XXII. 24.* Insuper Scriptura sponsas sæpius uxores appellat *Deut. XX. 7.* & sponsos generos *Gen. XI. 17.* Quam sententiam pluribus deducit Brouwerus eruditissimus alias *JCtus Tr. de jure coniubiorum L. 1. c. 24, n. 1. & seqq.* Secunda vero ratio hæc est, quod non concubitus sed solus consensus faciat nuptias, jam vero in sponsalibus adesse consensum, & sic Sponsalia esse matrimonium.

§. VI. Verum ad hæc argumenta facilis est responsio, & quidem ad primum, quod sæpe duæ res eodem nomine veniant, quæ tamen distinctissimæ sunt. Ita maxime in sacris literis sæpiissime solet denominatio a futuro eventu peti, ut alias cingendus sæpe pro cincto habetur, ut pluribus exemplis probavit Gerhard. *Lor. Theol. de Conjugio §. 168.* Et breviter habetur in jure Canonico *Can. 12. Conf. 27. qu. 2.* ubi expressis verbis dicit Gregorius: *Divine Legis est mos, sponsas appellare Conjuges, non que jam uxor erat, sed*

F

que

*An Sponsalia  
coram Deo  
sunt matri-  
monium?  
Affirm. rat.*

*non dicitur  
ut confi-  
cti.*

*Refutantur.*

*qua uxor fieri debebat.* Deinceps probe notandum, quod apud Hebræos vox desponsata non denotet, talēm sponsam, quales hodie sunt, sed ubi re vera promissio matrimonii intercesserat, sed deductio in domum nondum secuta. Spondere, nihil aliud est, quam sponte promittere, ergo etiam quando in matrimonium consentiunt, & hoc sibi prorittrunt etiam sibi invicem desponentur. Ita Maria non erat Sponsa Josephi, nec unquam a Judæis pro tali habita, sed pro vera uxore. Hinc Matth. I, 18. dicitur de Maria quod fuerit desponsata ~~Mensu~~ <sup>Die</sup> Josepho, & versu sequenti 19. Josephus non vocatur sponsus, sed *avus maritus*. Consensus enim facit matrimonium, quæ non tantum regula civilis, sed & naturalis & diuini Juris est. Ex eodem principio judicandum de loco Deut. XXXII, 21. 22. 23. ibi enim per virginem desponsam intelligendus est casus, ubi jam in nuptias consensit femina, & sic desponsata quidem dici potest, sed non sponsa, in nostro sensu; ceu patet ex sequenti versu 24. ubi inter rationes, cur pœna capitis masculo statuta, additur: quia comprescit uxorem socii sui. Deinceps non sequitur eadem pœna sponsæ statuta in casu, si alii copiam corporis sui faciat, quam uxori in casu adulterii; ergo sponsa est uxor: potest enim in duobus diversis casibus eadem pœna, ex speciali quodam respectu, obtinere. Quod vero alterum concernit argumentum, hoc plane nullius momenti est; nam verum quidem est, non concubitus, sed consensum, tacere nuptias, sed inde non consequitur, quia in sponsalibus adegit consensus, ergo adsunt nuptiæ; Ita enim possem subsumere, in omnibus contractibus consensualibus ex solo consensu nascitur obligatio, ergo sunt nuptiæ. Facit ergo consen-

sensus nuptias, sed matrimonialis; cum vero in sponsalibus adsit quidem consensus, non vero matrimonialis, sed sponsalitus: necessario sequitur, ut hic non faciat matrimonium, sed sponsalia. Cum ergo ipsa sua natura distincta sint sponsalia a matrimonio, non potest dici coram Deo desponsatos esse conjuges, Deus enim quamlibet rem secundum ejus naturam & indolem aestimat.

S. VII. Quæ cum clara satis atque perspicua sint, videamus, quid causam dederit huic confusione? Scilicet, illa a jure Canonico inventa, & a plerisque Doctoribus male intellecta distinctione inter sponsalia de praesenti & de futuro. Primo enim, divisio plane inutilis, & merum Pontificiorum figmentum, infinitis erroribus occasionem dedit, cum naturaliter omnia sponsalia de futuro sint & omnes casus facile decidi possent, etiam hanc distinctionem ignoraremus. Deinde ipsa etiam distinctione a nostris, sed in plane alio sensu, quam iuris canonici, accepta & recepta. Ut vero clarius hoc explicem, notum est de jure Canonico esse sponsalia de praesenti, ubi adest præsens consensus matrimonialis, & sic est matrimonium. Inde & canonistæ dicunt sponsalia de praesenti esse ipsum matrimonium. Sponsalia autem de futuro vocant canonistæ, ubi quis alteri promittit, quod matrimonium cum ipso contracturus sit, uti hodie apud nos omnia sponsalia contrahuntur; hic nondum adest consensus matrimonialis, sed tantum sponsalitus, & matrimonialis usque ad tempus contrahendi matrimonii differtur. Hæc vero communiter in longe alio sensu accipiuntur: Ita personalia de praesenti in Consistoriis nostris intelliguntur pura & simplicia, per sponsalia

*Quid causa  
sam dederit  
huic confu-  
sioni.*

autem de futuro conditionata; Qui sensus plane sajure canonico alienus est. Quando ergo textus juris canonici ad casus plane diversos applicantur, facile concipi potest, quanta inde nascatur confusio. Quæ evitari potuisset, si canonistæ sponsalia de præsenti, non sponsalia, sed matrimonium initiatum vocassent: Ut quidem hoc faciunt; sed non debuissent hoc matrimonium vocare sponsalia de præsenti. Perpetua enim est inter sponsalia & matrimonium differentia. Sunt itaque sponsalia de futuro nihil aliud, quam quæ hodie vocamus sponsalia perfecta, sive pura consensu, sive sub conditione contracta fuerint, quia in omnibus est consensus de futuro matrimonio. Plenius & ex professo, de vera illius distinctionis origine, explicatione, & perversa applicatione, actum est a Magn. Dn. Præside in *Diss. de natura & divisione sponsaliorum integrō cap. II.* conferatur etiam *Programma egregium* Dn. Guil. Hier. Bruckneri *Progr. de differentia consensu sponsalitii & matrimonialis, indeque resultantibus effectibus præcipuis*, ubi ejusdem plane sententiae nobiscum est.

2.) Ratione  
indissolubili-  
tatis.

S. VIII. Cum itaque in præcedentibus succincte quidem sed satis probatum sit, diversa plane esse negotia sponsalia & matrimonium, & diversam utriusque obligationem, necessario sequitur, ut etiam diversi effectus inde proveniant. Inter eos autem præcipuus hic est quod matrimonium inducat vinculum indissolubile. Non loquimur de mero jure naturæ, nam ex sola ratione naturali constare non potest, cur non ad tempus contrahi matrimonium possit, & libero utriusque consensu dissolvi; sed de jure divino, ex quo luculenter constat, quod Deus noluerit, ut a matrimonio recedatur, nisi ex gravissima causa, sicut non modo

modo ex prima institutione, sed & ex doctrina Christi  
clare satis & perspicue constat, & pluribus demonstra-  
vit Dn. Præses in *Diss. de jure & institutione matrimo-*  
*nii C. II. §. 21.* Huc etiam pertinent verba Christi:  
*Matib. XIX. 6. quod Deus coniunxit homo non separet.* Non  
dicitur ibi *quos* Deus coniunxit, sed *quod* (o) ut adeo  
hoc verbum non ad personas respiciat, sed ad ipsum  
negotium, de quo agitur, vinculum scil. matrimonii;  
ut ea mens sit Christi: *Quod Deus voluit unitum es-*  
*se, hoc nemo separare debet, quod & ipsa vox græca*  
*αντίζευξις indicat, quæ a ζευγός jugo ita vocatur, quod*  
idem utriusque jugum impositum sit. Hic ergo iterum  
videmus, quantopere in effectu differat matrimonium  
a sponsalibus. Illud enim producit vinculum indissolu-  
ibile, hæc non. Nam & Deus in prima institutione  
& Christus in novo testamento de nuptis loquuntur  
non despontatis. Non enim quærebatur *Math. XIX.*  
de sponsæ repudio, sed de uxoris divortio & additur  
ratio, quod vir & uxor sit una caro, ceu Gerhardus ad  
hunc locum responderet *d. l. §. 168.* Est ergo in sponsa-  
libus nulla alia obligatio, quam ex nudo consensu, ex  
quo nihil aliud, quam jus personale seu ad rem inter  
contrahentes nascitur, jus in re vero demum per ipsum  
matrimonium subsequens. Unde non incongrue  
Doctores hoc negotium cum emtione & venditione  
comparare solent, ita ut sponsalia sint instar cotra-  
etus venditionis, matrimonium autem instar traditio-  
nis. Quamvis hæc comparatio in omnibus non pro-  
cedat. Cum itaque haec clara satis & manifesta sint,  
mirum est, plerosque scriptores ejusmodi tamen defen-  
dere opiniones, quæ omni rationi contrariæ sunt, dum  
sponsalibus eos attribuunt effectus, qui matrimonio

proprii sunt. In quo præit aliis Carpzovius, summus alias JCtus, qui *Jurispr. Conf. l. 2, def. 7. n. 10. & u. hæc verba habet: Inter sponsalia, & nuptias quoad in dissolubilitatem, nulla est differentia: jam audi rationem: si quidem consensus non concubitus facit nuptias, prout in ore est omnium.*

3) Ratione  
fini.

¶. IX. Ut vero hæc res clarior fiat, pergamus ad finem matrimonii, qui sine dubio est procreatio sobolis & mutuum adjutorium, prout pluribus dictum est in speciali dissertatione Dn. Præsidis de fine matrimonii. Hic vero finis cum & conjunctionem corporum requirat, facile unusquisque videbit, finem sponsaliorum plane diversum esse, & nullum alium quam fuiurum matrimonium, huius enim causa contrahuntur sponsalia. Hinc etiam sponsus nullum adhuc jus in corpus sponsæ habet; & si ejusmodi quid ab illa exigere vellet, quod tantum uxor marito debet, sponsa id refutare & ipsum repellere potest; contra vero, si ad illum actum perveniant, qui tantum conjugatis personis concessus, tum res non amplius manet in terminis sponsaliorum: sed videntur eo ipso despontæ personæ consensem sponsalium mutasse in consensem matrimonialem, dum id faciunt, quod non nisi conjugatis licet. Quæ præsumtio a Doctoribus propterea vocatur juris & de jure, quia non admittit probationem in contrarium.

4) Ratione  
Imperiis ma-  
rita.

¶. X. Inter effectus matrimonii hic etiam reperitur, quod maritus sit caput uxoris atque imperium in uxorem habeat. Ita ut uxor ei in causis ad familiam pertinentibus debeat obsequium præstare, vid. Dn. Præses Diff. de qualitate & jure personarum matrimonium contrahentium cap. II. §. 7. Jam vero hoc jus nondum sponso competere apud omnes in confessio est:

Per

Per sponsalia enim nondum familia constituitur, & sic nec paterfamilias vocari sponsus potest, nec caput sponsæ, nec illa imperio ejus subiecta dici potest, sed æqualis est utriusque ratio, nec alter in alterum quidquam adhuc juris præcipui hac in parte habet.

§. XI Hinc alia etiam differentia fluit, quod uxor quidem omnium jurium mariti particeps fiat, in ejus familiam relicta patria transeat, nomen ejus accipiat, forum sequatur, ejusque prærogativa & proædria gaudeat. Quæ omnia tamen in sponsa secus se habent, utpote quæ nec in familia sponsi est, nec nomen ipsius recipit, nec iurium aliorum particeps est, ante contratum & consummatum matrimonium.

§. XII De jure civile itidem hac in re differunt, quod inter conjuges donatio prohibita sit *tot. tit. ff. de Donat. int. V. & V.* non autem inter personas desponsatas *L. 32. & penult. ff. de Donat. in V. & V.*

§. XIII Sed & ratione affinitatis differunt, cum per nuptias affinitas contrahatur, ita ut uxoris filiam vel marrem ducere non liceat; hoctamen in sponsalibus secus, nam & filiam sponsæ & matrem & sororem ducere licet, & nihil aliud requiritur, quam ut, in dubio, contrahens juret, quod cum defuncto ad ultimam amoris lineam non pervenerit. Ex quo facile patet, quam erronea sit eorum sententia, qui contrarium defendunt, ut fecit Cypræus *de jur. connub. c. 12. §. 10.*

§. XIV. Possent adhuc alii casus adduci, in quibus sponsalia a nuptiis differant, si id necessitas posceret, neque ex dictis satis constare possit, diversa plane esse sponsalia & nuptias. Qui vero plures differentias videre cupit, evolvere potest Gerhardum *in Loc. Theol. de matrim. §. 169.* Cypræum *civ. tr. cap. 5.* aliasque Sufficiant

<sup>5) Participa-</sup>  
<sup>tionis iurium.</sup>

<sup>6) Ratione</sup>  
<sup>donationis.</sup>

<sup>7) Ratione</sup>  
<sup>affinitatis.</sup>

*Concluditur*  
*diversam pla-*  
*ne sponsalio-*  
*rum & Nu-*  
*ptiarum esse*  
*obligationem.*

ciant hæc fundamenti causa, & ad probandum id, quod instituti nostri est a nuptiis ad sponsalia non valere argumentum, nec quod de nuptiis statutum in legibus, adplicandum ad sponsalia esse, ut adeo non satis mirari liceat, quo potuerit modo, contra omnem rationem Carpzovius *Jurispr. Consil. I. 2. def. 7. n. 12.* hanc generalem formare regulam: *quod de nuptiis est dispositum, id quoque obtinet in sponsalibus.*

*Objectum  
sponsaliorum  
est persona.*

§. XV. Postquam ergo haec tenus demonstratum est, quæ sit causa obligationis ejus, quæ ex sponsalibus nascitur, scil. consensum sponsalitium, & qua ratione a matrimonio differat. Nunc dicendum de objecto sponsaliorum, in quo ab omnibus contractibus consensualibus aliis differt, quod hic est non res, sed persona. Dum enim duo sponsalia ineunt, eo ipso suam personam alter alteri obligat, & simul sibi invicem promittunt, quod cum nulla alia matrimonium inire velint.

*Lende secunda  
sponsalia illa-  
cita sunt.*

§. XVI. Ex hac obligatione personarum per se & sua sponte sequitur, ut nulla pars postea cum illa persona sponsalia contrahere possit, si contra faciat, posteriora sponsalia semper sint nulla. Qui enim semel se ipsum uni personæ obligavit, non amplius jus & facultatem habet, se alteri obligandi: sed potius ejusmodi actus ipso jure nullus est. Nam ut valida sit obligatio, non sufficit, si quis simpliciter consenserit, sed oportet, vt quis facultatem consentiendi habeat, & de eo contrahat, quod in ipsius potestate est.

*Quid de con-  
curso sponsa-  
liorum statu-  
endum.*

§. XVII. Ex quo principio & fundamento nunc omnes illæ controversiæ, quæ de concursu sponsaliorum & quænam aliis præferendæ, agitari solent, facile decidi possunt. Quodsi enim semel sponsalia, juste

&amp;

& legitime contracta, omnia posteriora, ob defectum consensus, invalida sunt & nulla. Ita ut non opus sit distinguere inter sponsalia; quodsi enim priora sponsalia invalida sunt, tum ideo non possunt sequentibus praeserri, quia revera non sunt sponsalia, quod enim nullum est, nullum habet effectum.

§. XVIII. Requiritur autem, ut consensus sit sponsalitus & perfectus nec interest an jure an sub conditione contracta sponsalia; nam & in conditione adest obligatio perfecta, non quidem ad praestandum promissum, sed ad expectandum conditionis eventum, a qua obligatione, suo facto, pendente conditione, nemo se liberare potest. Hinc si prius conditionata contracta sponsalia, non licet pendente conditione cum alia contraherere, sed haec posteriora, si postea conditio existat, nulla sunt, Browerus de jure coniub. l. 1. c. 22. n. 4. Ut adeo mirandum sit, quosdam tamen ultimas praeferre uti facit Albericus Gentil. tr. de nupt. l. 2. c. 12. Mauserus de Nupt. p. 323.

*Quid si conditionata cum parie concurrans.*

§. XIX. Evidem ejusdem sententiae etiam Carpzovius est in Jurispr. Consil. l. 2. def. 70. n. 13. ubi hanc rationem addit, quod conditio nondum impleta nihil ponat in esse, & deinceps n. 14. Nec est, inquit, quod nobis opponatur conditione existente obligationem retrotrahibi ad tempus contractus L. potior n. §. videamus ff. qui pot. in pign. Etsi enim hoc alias vertissimum est, minime tam id prejudicare potest, sponsalibus interim pure contractis, eum hic obex incurrat qui priorem obligationem tollit, ut ad id, quod sublatum sit, coniugio retrotrahibi nequeat. Ut scire notat. Matth. Wefemb. in margin. ad Schneidew. d. n. 37. lit. a. Ex quo enim nunquam bina subsistere simul possunt sponsalia valida, quia sunt pure contra-

*Notatur contradiccio Carpzovii.*

Eta, hoc ipso momento conditionata corrunt, ut fictio retro-  
tractionis non habere possit ubi pedem figat. Fateor tam  
subtilem esse hanc Philosophiam, ut vix capere eam  
& intelligere liceat. Videamus autem quid alio loco,  
& quidem eodem libro II. def. 21. hac de quæstione sen-  
tia Carpzovius. Ibi autem n. 1. repetit ea, quæ in def.  
præcedenti 20. tractaverat, scilicet, sponsalia conditio-  
nata non obligare contrahentes, priusquam extiterit  
conditio, ex natura ejus propria, quæ actum suspendit  
& nihil ponit inesse; jam n. 2. illam quæstionem mo-  
vet, an ergo sponsalibus sub conditione contractis,  
pendente conditione resilire, & cum alia persona pu-  
re & de præsenti sponsalia inire fas erit? Respondet  
Carpz. ad hanc quæstionem: Ita quidem putant Alberic.  
Gentil. l. 2. d. nup. c. 12. p. 172. Mauser. de nupt. p. 323.  
quis non existente obligatione, libera videtur relicta facultas  
conjugium inire, cum qua persona quisque velit. Jam ve-  
ro suam addit decisionem: Sed impia & periculosa est  
hec assertio; dicendum potius a contrahentibus, expetari  
debet conditionis eventum, priusquam ad alia convalent  
sponsalia ibique Cypræum, Panormitanum, Gerhard-  
um, Tarnovium & ipsum B. Lutherum allegat, &  
tribus rationibus propugnat; inter quas tamen secun-  
dam nolumus nostram facere, qua sententiam illam  
ex eo fundamento defendit, quia matrimonium non  
est contraactus tantummodo civilis, sed & res conscienc-  
iarum & tale negotium, cui Character spiritualis est im-  
pressus, quippe stodus matrimonii sanctissimum, atque  
adeo non tam a contrahentium consensu, quam Dei  
autoritate & voluntate dependet. Hanc enim ratio-  
ne non modo ex reliquiis Papatus esse, sed etiam  
matrimonium cum sponsalibus confundere, unusquis-  
que

que facile videbit. Interim hujus doctrinæ non minimit Carpzovius paulo post *def. 70.* ubi plane contrarium sententiam defendit, & Cypræum, quem hic pro se adducit, ibi ut dissentientem refutat. Conf. Hieron. Brucknerus in *Decis. Matr. Cap. 4. n. 14. seqq.*

§. XX. Efit porro ex supra dictis, prima sponsalia posterioribus præferenda esse, licet hæc ex probabili causa contracta v. g. si sponsus diu absens fuit, & sponsa, falsa fama ducta, crediderit eum mortuum, vel cum alia sponsalia contraxisse, & interea aliis se desponeat; nihilominus tamen, redeunte priori sponso, priora præferenda sunt vid. Cypræus de *Jur. Con-*  
*nub. cap. 13. §. 71.*

*Quid si ex  
probabili  
causa secun-  
da sponsalia  
contracta.*

§. XXI. Potest etiam ex eo fundamento facile dijudicari illa quæstio, annon posteriora sponsalia juramento confirmata, præferenda sint prioribus? Sunt enim non pauci qui affirmativam tenent, idque ex hoc potissimum fundamento, quod omne juramentum, quod sine dispendio salutis servari potest, servandum sit *Cap. 28. X. de Jurejur.* Verum uti illa regula juris Canonici necessariam limitationem habet, si juramentum jure præstitum, & quidem de eo quod in nostra quoque est potestate, atque adeo omnia sua requisita habeat, quæ requiruntur in *Cap. Et si Christus 20. X. de jurejur.* ita si hæc deficiunt, illa regula juris Canonici falsa est, quantam etiam æquitatis speciem præ se ferat. Jam vero ex superioribus satis apparet, sponsalia posteriora esse nulla, ideo quod deficiat facultas consentiendi & se alteri obligandi, sine difficultate unusquisque cognoscet, quantum valeat ejusmodi juramentum, quod rei illicitæ ac prohibitæ accedit: Scilicet, esse illud ipso jure nullum; si enim

*Quid si ad po-  
teriora ac-  
cesserit jura-  
mentum.*

valere deberet, esset vinculum iniquitatis, & ansam daret ab omni pacto recedendi, si modo posterius juramento confirmetur? Non enim valet juramentum in præjudicium tertii. Seraphin. de priv. Jur. priv. 151. n. 3. Mantica de tacit. & ambig. convent. l. 12. tit. 33. n. 44. & l. 13. tit. 37. n. 8. Gail. l. 2. obs. 147. n. 2. Conf. Brouwer. de Jure Connub. l. 1. c. 22. n. 4. Huic vero fraudi ansam dedit jus Canonicum, quod mirum in modum, multiplicavit usum juramentorum, sub falso hoc æquitatis prætextu, cum tamen juramenta restringenda magis quam promovenda essent; qui superflius juramentorum usus, nihil aliud est quam profanatio divini nominis, ita ut omnia juramenta, quæ necessitas non exigit, juri divino adversa sint. Vid. Dn. Præf. diss. de eo quod *injustum est circa juramenta extrajudicialia*, quæ reperitur inter Meletemata ejus de *Juram. Mel. 1.*

*Quid si ad posteriora accesserit concubitus vel matrimonium.*

*Rationes pro sponsalibus posterioribus.*

§. XXII. Illa vero disputata admodum inter doctores controversia est, an, si quis duo contraxerit sponsalia, priora præferenda sint, licet ad posteriora concubitus accesserit, ut cum posteriori sponsa matrimonium consummatum, imo etiam liberi ex eo nati: an nihilominus priora posterioribus præferenda sint? Liceat vero, antequam nostram exponamus sententiam, rationes utriusque partis primo ordine recentrare, & postmodum nostram subjecere sententiam.

§. XXIII. Primo itaque adducam rationes eorum, qui in casu ubi ad posteriora accessit concubitus, aut consummatio matrimonii, hæc ultima præferenda esse existimant. Horum autem argumenta potissimum eo recidunt, quod (1) sponsalia posteriora per

per culpam carnalem degenerent in matrimonium, maxime si & sacerdotalis accesserit copula: jam vero quia per copulam carnalem unitas carnis contrahitur i. Cor. VII. & hoc potissimum vinculi indissolubilitatis matrimonii fundamentum sit, non posse posteriora dissolvi (2) Argumentum ex L. Quotis 15. C. R. V. petunt, ubi dicuntur, si res duobus vendita, & secundo tradita, hunc potiorem esse; via eadem videtur adesse ratio in sponsalibus, quæ in emtione & venditione, cum utrumque negotium solo consensu contrahatur. (3) Per sponsalia tantum jus personale acquiriri per matrimonium vero jus reale (4) privilegium contra privilegium, non uti privilegio.

§. XXIV. Contrariam vero sententiam ex rationibus non contemnendis defendant doctissimi et priorib[us]. Idque potissimum ex hoc fundamento, quod supra a nobis adductum est, quia posteriora sponsalia sunt nulla, & sic nullum habere possunt effectum, proinde nec copula carnalis rem nullam & prohibitam licitam facere potest, sed erit coitus illicitus & quodammodo adulterium; nec sacerdotalis, & ita consummatio matrimonii, potest quidquam operari cum accedit ad aetum legibus prohibitum. Hinc ad argumenta prioris sententiae respondent ad. (1) non omnem concubitum facere nuptias, sed illum qui cum sponsa, cum qua legitimo modo sponsalia inita, peractus, aliud ergo in hoc casu ubi sponsalia sunt nulla. Et sic nec vinculum indissolubile solo concubitu contrahitur, alias enim & cum meretrice quis matrimonium contraheret, qui cum ea concubabit. Nihil itaque copula sacerdotalis efficere potest, utpote quæ matrimonium juste, & non contra prohibitiones leges, con-

tractum præsupponit, si effectum habere debeat. Ad 2dum respondent, non valere argumentum a contraria emtionis & venditionis ad sponsalia, ille rem pro objecto habet, hæc personam, ibi vendor emtori tenetur ad interesse præstandum, in hoc vero non, neque enim tam accurate interesse estimari potest in persona, quam in re quæ est in commercio. Unde & ratio 3.) corruit nemo enim jus in re habet, qui rem non justo titulo possidet. Nec etiam (4) posterior sponsa seu uxor privilegiata est, cum prohibitas contraxerit nuptias. Auxilium autem legum frustra invocat, qui contra leges quid committit L. auxilium 37. ff. de Minor. Cujus sententia etiam fuit Carpzov. in Praxi rer. crimin. P. 2. qu. 67. n. 58. & seqq. Sed postea priorem amplexus est in Jurispr. Confess. L. 2. tit. 4. def. 66. Conf. Brucknerus in decis. Matrim. cap. 4. n. 54. seqq.

*Nostra sententia.*

§. XXV. Quodsi jam nostram adjicere sententiam licebit, non negandum est, rationes posterioris sententia, longe majoris ponderis esse, quam prioris. Cum vero ex posteriori varia nascantur incommoda, maxime si matrimonium cum posteriori sponsa jam consummatum & liberi inde nati; hinc videtur temperamento aliquo opus esse. Distinguendi enim duo casus diversi: primus an femina, cum qua posteriora sponsalia contracta, sciverit, sponsum jam anteacum alia sponsalia contraxisse, an ignoraverit. Quæ dictinctio locum quidem non habet, si ab utraque parte res in terminis sponsaliorum permanserit, tum enim priora indistincte præferuntur: Quodsi vero sponsalia posteriora in matrimonium fuerint mutata, tum si sponsa posterior conscientia fuit priorum sponsaliorum, priora adhuc præferenda sunt; quodsi vero posteri-

or

or sponsa non fuerit ejus rei conscientia, v. g. si prima in alio loco remoto contracta, & sic bona fide cum sponsa sponsalia, & postea matrimonium contraxerit, illudque consummatum copula sacerdotali & carnali, tum æquum & rationi convenientius esse opinor, ut posteriora prioribus præferantur. Quia res cum posteriore in eum statum perducta est, ut in pristinum statum reduci nequeat, in priori autem res integra sit & maneat.

§. XXVI. Quæ autem hactenus de concursu sponsaliorum dicta sunt, illa duplice modo limitanda & restringenda. Primo enim in supra dictis casibus tum priora sponsalia præferenda, si prior sponsa velit recipere sponsum, si enim nolit, utique, cum fidem datum ex parte sua violaverit, nec illa ipsi eandem servare tenetur. Deinde & hoc observandum, quod quando sponsalia vel priora posteribus, vel hæc illis præferuntur sponsus vel sponsa semper parti læsæ interesse præstare debeat, ut omni modo indemnisservetur pars innocens. Imo & publica poena affici posse eum, qui matrimonium inire detrectat, tam propter levitatem in tanto negotio, quam propter scandalum datum, nemo facile dubitabat. Conferatur pluribus de concursu sponsal. B. Dn. Strykius *in special.*  
*Differ. tract. de Differ. sponsalio sect. IV.*

*Restringe  
sententia  
nuptia.*

§. XXVII. Nunc porro videndum quenam actio nascatur ex obligatione sponsalitatis, & ad quid illa detur? Jure Romano sine dubio dabatur actio ex stipulatu, cum ita definitur sponsalia, quod sint mentio & repromissio futurarum nuptiarum, quamvis Brouwerus *de jure Connub. l. 1. cap. 24. n. 10. & seq.* existimat, non instar stipulationis, sed potius nudipacti valuisse

*Quæ actio  
nascatur ex  
oblig. spons.*

spon-

sponsalia, ita ut pro lubitu ab iis recedere licuerit; unde JCtos sponsalia spem tantum matrimonii vocasse L. 6. ff. de sponsal. L. 13. §. 3. ad L. Jul. de Adult. ex sola autem re sperata nulla competit actio; adeoq; in illis sponsalibus tacitam subfuisse conditionem, *nisi interim alter placuerit.* Verum nostris moribus, qui & hac in parte juri naturae convenient, arctior inde descendit obligatio, ad consummandum matrimonium; idque actione ex pacto, quod hodie eandem obligationem, quam olim stipulatio apud Romanos , producit: Quamvis & hodie saepissime sponsalia per solennem stipulationem contrahuntur. Quando v. g. sponsus in praesentia testium , interrogat sponsam, an ipsum ut sponsum accipere, & postea matrimonium cum eo contrahere velit, & illa solenniter respondeat.

*An partes compelli possint ad consummandum matrim.*

*Rationes affirmati.*

S. XXVIII. Cum ergo actio ex sponsalibus detur ad consummandum matrimonium, illa se offert quaestio disputata admodum, utrum si una pars nolit consummare matrimonium, ad id compelli invita possit? ubi affirmativa sententia communi Doctorum calculo recepta ; Rationes quæ pro defendenda illa sententia adferuntur sequentes sunt: Quod (1) consensus non concubitus faciat matrimonium, semel ergo fide matrimoniali data , non licere ab ea recedere cum matrimonium sit conjunctio indissolubilis. (2) Quod sponsajure divino vocetur uxor, itaque remitentem ad mutuam cohabitationem compelli posse. (3) Quod pactum de conjugio sit scodus divinum & sic nulla auctoritate humana dissolvendum. (4) Quod necesse sit levitatem eorum, qui temere a sponsalibus recedunt coercere. Uti horum Dd. rationes hoc ordine adducit Gerhard. loc. de Conjug. 10. §. 13. Carpzovius addit (5) quod

quod sponsalia in nomine sacrosanctæ trinitatis contrahantur, & propterea illa verba adhiberi soleant: Werden zusammen gegeben bis auf Priesterliche Hand. h. e. Contrahitur matrimonium usque ad copulam sacerdotalem: hinc compellendos eos esse, ne mutuo dissensu solvantur contra regulam Christi. Quod Deus coniunxit, homo non separet. Accedere etiam (6) quod scandalum inde oriatur si matrimonium vel plane intermittatur, vel in multum tempus differatur. *Jur. Confif. l. 2. def. 132.* Hinc non modo concludit compellendos esse invitatos, & si nolint pena, vel pecuniaria, vel carceris, cogendos refractarios ad consummandum matrimonium; sed &, si nec hoc sufficeret, relegationis etiam pena contra eos procedendum, tandemque invitatos a pastore, s. ministro ecclesiæ copulandos esse *cit. loc. def. 133. 134. 135.*

§. XXIX. At enim vero ab hac sententia, communi licet, multi tamen recedunt, doctissimi pariter viri, qui existimant eo casu, quo una vel altera pars detrectat inire matrimonium, omnibus quidem modis quærendum esse, ut reconcilientur; & bonis persuasionebus eo perducantur, ut libere matrimonium contrahant; si vero nullo modo ad id perduci possint, potius dissolvenda esse sponsalia, cum ex ejusmodi coacto matrimonio infelicissimi sæpe eventus provenire soleant, cuius exemplum adducit B. Dn. Strykius *in. tr. de Diff. sponsal. sect. II. §. 8.* Imo novimus exemplum, ubi femina, juvenis adhuc, ad matrimonium coacta est, quod ipsam tantopere affectit, ut postea plane usū rationis fuerit destituta. Multa plura adduci possent, si non ex praxi quotidiana in plerisque locis passim conspicua essent. Ut adeo hæc sen-

*Negantum  
sententia  
prefertur.*

tentia cum manifesta nitatur æquitate, sine dubio priori præferenda sit.

Rationes hu-  
iūsententia.

§. XXX. Neque vero sententia hæc suo desti-  
tuitur fundamento, sed potius omni iuri conueniens  
est & quidem (1) iuri diuino, quo nuptiarum vincu-  
lum arctius est quam sponsaliorum. Quod si ergo in  
V. T. propter ~~αληγοναγδιαν~~ iudæorum, Deus ipsis  
permisit diuortia, vbi iam consummatum matrimoniu-  
m, quidhi in N. T. sponsaliorum dissolutio ob eandem  
causam auctoritate Magistratus fieri posset. (2) Juri  
Canonico ubi in Cap. Requisuit. 17. X. de sponsal. et  
iam in sponsalibus iuratis idem statutum est verbis:  
mulier quedam, iurisurandi religione neglecta, rubore illi  
renuebat, cui se nupturam interposito iuramento firma-  
uerat, respondit Lucius, quod, cum libera debeant esse ma-  
trimonia, monenda sit potius mulier quam cogenda cum co-  
actions difficiles exitus frequenter habere soleant. (3)  
Juri Ciuiili Romanorum, vbi qui sponsalia contra-  
ixerat, solutione eius, quod interest, liberabatur, Aul.  
Gell. Noct. Attic. l. 4. c. 4. ceu & in omnibus obliga-  
tionibus facti hoc iuris est, quod is qui ad factum se  
obligauit ad id compelli nequeat, sed liberetur præ-  
stando interesse. Imo & (4) ipsi rationi naturali con-  
ueniens est, & reipublicæ postulat vtilitas, vt ad e-  
vitandam mains malum tollatur minus, iam vero  
ex coactis matrimoniis longe maiora mala in rempu-  
blicam redundare possunt, quam si sponsalia ratio-  
ne circumstantiarum habita dissoluantur; quot non  
lites, contentiones, imo & homicidia sæpe ex dissensu  
coniugum, resultant, cuius casum nuper Illustris Fa-  
cultatis Iuridica huius Vniuersitatis habuit, vbi vxor  
maritum suum violenta morte occidit. Quæ argu-  
men-

menta adduxit eodem ordine Gerhardus *loc. de Coniugio* §. 113. Conf. B. Dn. Stryk. *cis. tr. fœt. II. §. 3. seqq. & §. 46. & 47.* ubi §. 49. magnum Doctorum numerum recenset, qui pro hac militant sententia.

**§. XXXI.** His fundamentis positis, facile est ad rationes contrariæ sententiæ respondere. Quod enim numero (1) concernit, hæc corruit ex iis quæ supra a nobis tradita sunt de diuersa obligatione sponsaliorum & matrimonii §. VI. seqq. Ex cuius confusione hic error vnicæ oritur. Vbi & ea quæ (2) de nominatio-  
ne sponsæ in iure diuino adducta, satis refutata sunt. Quod vero (3) adfertur pactionem de coniugio esse fœdus diuinum, hoc plane falsum & Pontificiorum est commentum; nihil enim hic Deo promittitur, sed negotium est inter homines, inter quos, ut supra traditum, ex solo consensu nascitur obligatio, vbi Deo non magis obligatio acquiritur, quam in aliis contractibus consensualibus. Est ergo illa prætensa obligatio Deo quæ sita nihil aliud, quam figmentum pontificiorum ex principio suo, quod matrimonium sit sacramentum, dudum a nostro reiecto, descendens: neque hic de fœdere matrimonii sed de fœdere sponsaliorum agitur; Quod vero tam rationem attinet, per hanc sententiam leuitas eorum, qui sponsalibus ludunt, non defenditur, de hac enim quomodo coërceri debeat, ex sequenti §. patet. Pergimus ad tam Carpzouii rationem; Verum huius confutatio pariter ex superioribus facilis est, nam illa formula, quam adducit non sponsalia, sed matrimonium contrahitur, dilata tantum benedictione fæderali, nec Christus quando dicit quod Deus coniunxit, homo separare non debet, de sponsalibus, sed matri-

*Responso ad  
rationes pri-  
oris sententie.*

monio loquitur. Tandem vero 6to neque scandalum hic datur, si judex omnia circumspetē & ex iusta ratione agit. Contra vero ex coactis matrimonii, ex quibus oriuntur rixæ, contentiones, verbera, infidiæ vitæ strætæ, imo sæpe cædes, vere scandalum datur ; cuius causa moralis iudex est, qui id euitare potuisset, si dissoluisset sponsalia.

*Temperamentum nostræ sententie.*

§. XXXII. Ne vero illa quam hactenus defen-  
dimus sententia, iniquitatis alicuius accusari possit,  
quasi perfidiae patrocinium hoc ipso præstetur, notan-  
dum est, quod omnes qui eam fouent & defendunt, si-  
mul addant, quod illa persona, quæ contra fidem datam  
agit, & promissum inire matrimonium recusat, neque  
vllis persuasionibus ad id perduci potest, non modo ad  
interesse parti læsæ plenissime refundendum, teneatur,  
sed & insuper grauissima pœna coercenda sit, vt ita & a  
facilitate ludendi cum sponsalibus deterreantur alii, &  
ipsum quoque scandalum euiteretur. Vnde iure Cano-  
nico censuræ ecclesiasticæ subiicitur, Cap. 10. & pen. X. de  
sponsal. & iure ciuili amittebat arrham datam, & qui ac-  
ceperat, duplicatam restituere tenebatur. Hodie in  
Consistoriis arrhas amittunt, quæ afferoribus Consisto-  
riorum cedunt, quos tamen mores reprehendit Ger-  
hardus cit. tr. §. 154. consultius enim futurum esse, inquit,  
Ærario ecclesiastico eas inferre, ne earum intuitu ad sponsalio-  
rum dissolutionem sint propensiores. Solet etiam pœnæ no-  
minæ parti nocenti iniungi, ne cum alia matrimonium  
contrahat. Verum & hic recte monet Gerhardus c. l.  
conscientiarum & infirmitatis humanæ habendam  
esse rationem, neque hanc pœnam facile imponen-  
dam, ne forte hoc ipso alteri ad maiora crimina occa-  
sio

fio suppediterur; discessus autem ex provincia ipsi in-jungi potest, ut alibi matrimonium cum alia contrahat,  
& hic scandalum evitetur.

§. XXXIII. Hoc etiam notandum est, ea quæ in præcedentibus dicta sunt, de non compellendis de-sponsatis ad ineundum matrimonium, ad eos ca-fus restringenda esse, ubi res in terminis sponsalio-rum permanxit, quod si enim ad sponsalia acceſſerit concubitus, videntur consensum sponsalitium mu-tasse deſponsatae personæ in matrimoniale, cum ad eum actum pervenerint, qui non niſi conjugatis in matrimonio permittus est, & ſic non amplius sponsalia ſunt, ſed matrimonium. Unde etiam liberi ex tali coitu-nati pro legitimiſ habentur.

§. XXXIV. Plura adhuc dici poſſent de effectu obligationis sponsalitæ, ſi per omnes sponsaliorum ſpe-cies singulariter eundem eſſet; Verum ex hiſ genera-tim poſitiſ de omnibus caſib⁹ ſpecialioribus haud diſ-fculter judicari poſteſt.

## C A P. II.

DE

SPONSALIORVM  
DISSOLUTIONE.

## §. I.

**A**Ctum eſt in præcedenti capite de obligatione, quæ ex sponsalibus naſcitur, ejusque effectu, nunc age-mus de modis quibus obligatio illa diſſolvi po-est; Ubi ſtatim appetet, vocem diſſolutionis, ſecun-dum propriam ſignificationem, praefuſponnere nego-

*Diſſolutionis  
praefuſponnit,  
ſponsalia ve-  
lidat.*

tium ante validum & obligatorium, cujus tamen obligatio ex postfacto iterum tollitur, ac ita dissolvitur. Ubi ergo negotium statim ab initio invalidum est, ibi nullam producit obligationem, & sic totus actus nullus est. Ita etiam in causis matrimonialibus obtinere debet, quamvis haec saepissime confundi soleant. Vid. Brouwer. de Jur. Con. c. 25. n. 5.

*Et vocatur  
repudium.*

§. II. Quando ergo sponsalia semel rite contrafacta dissolvuntur hoc vocari solet repudium; quando vero matrimonium jam contractum rescinditur, illud vocari solet divortium. Quas voces si accurate consideramus, simul diversitatem sponsaliorum a matrimonio indicant? repudiare enim est declinare quod adhuc futurum est, & ideo de sponsalibus praedicatur, quia personae desponsatae nondum in unum corpus seu jugum, hoc est domicilium, convenerunt, hinc repudiatur futurum matrimonium. Divortium vero inde dictum est, quod in diversas partes abeant, hinc divertere conjuges dicuntur, cum non amplius in eadem versantur familia. Quamvis haec distinctione non semper accurate fuerit observata, sed quandoque vox repudii etiam pro divortio accepta, ceu patet ex tit. Cos. de repudiis, ubi de divortiis agitur. Vid. Cypraeus tr. de Jur. Connub. cap. 13. §. 1. n. 2. ubi §. 2. & seqq. veteres ritus quibus repudia tam apud Romanos quam Hebreos facta fuerint, exponit. Conf. Brouwerus cit. l. n. 3. §. 4.

*Nulla sunt  
sponsalia ex  
duplici causa.*

§. III. Ut vero nihil omittatur primo videbimus, ex quibus causis sponsalia nulla sint, & ita invalida, & postea causas, ex quibus sponsalia valida dissolvi possint. Omnia autem in compendio tantum percurremus. Oritur autem nullitas sponsaliorum ex du-

duplici fonte. (1) Ob prohibitionem legis, omnis enim actus qui contra leges est, ipso jure nullus est *L. s. C. de LL.* (2) Ob defectum consensus, cum enim hæc obligatio nascatur ex consensu, hinc deficiente consensu deficit etiam obligatio, & quicquid impedit consensum, impedit etiam obligationem.

§. IV. Videamus ergo primum de iis casibus, *I. Ob prohibi-*  
*tionem le-*  
*gis.*  
 quibus lege prohibentur sponsalia. Hic vero constat, alia prohiberi jure divino, alia jure humano; Jure di-  
 vino certæ personæ matrimonium imire prohibentur,  
 quæ proxime sibi sanguine juncti sunt, ubi commu-  
 niter Leviticorum Caput XVIII. pro norma accipere  
 solent. Quamvis adhuc vehementer disputari soleat,  
 an matrimonium inter personas ibi enumeratas tan-  
 tum prohibitum sit, an vero etiam inter eas, quæ e-  
 jusdem gradus cum enarratis sunt? de quo tamen  
 nunc pluribus non agemus, sed lectorem remitto ad  
 B. D. Sryckii tratt. de *Dissensu sponsal.* sect. V. §. 19. seqq.  
 Prohibitio vero humana diversa plane est, pro di-  
 versitate jurium. Jure *Romano* nuptiæ tantum pro-  
 hibitæ sunt in iis casibus, ubi personæ sibi invicem  
 sunt parentum vel liberorum loco, seu ubi adeat re-  
 spectus parentelæ, & in primo genere affinitatis. Jure  
*Canonico* longe ulterius extensa est prohibitio matri-  
 monii, forte ex illa ratione suasoria, ut ita homines,  
 qui semper nituntur in vetitum, eo ipso adstringantur  
 ad petendam dispensationem, & cum hæc nunquam  
 gratis concedatur ad augendum mirifice ærarium Pon-  
 tificis. In provinciis Protestantium hæc prohibitions  
 iterum restrictæ sunt, ita ut in gradu tertio lineaæ æ-  
 qualis ubi vis permitrantur, in linea vero inæquali, item  
 inter consobrinos, in quibusdam locis adhuc dispensa-  
 tionē

tione opus sit. Verum in his morari nunc animus non est.

*II. Ob defectum consensu*(i) in Dolo.* sponsalia contracta nulla sunt, scilicet ob defectum consensus. Deficit autem consensus, si quis dolo alterius inductus contraxerit. Quamvis enim in tali contractu non plane deficiat omnis consensus, est tamen ille non purus, sed tacitam habet conditionem, si res ita se habet; hac ergo conditione cessante, cessat quoque consensus & sic etiam obligatio. Si ergo hoc in aliis contractibus locum habet, multo magis idem obtinere debet in contractu sponsalitio, ubi cum de re maximi momenti agatur, exuberare debebat bona fides. Quomodo vero ejusmodi dolus committi soleat, elegantibus verbis describit Brouwerus de Connub. l. i. c. 19. n. 3. & quidem primo a parte masculorum eum se vobilem jactat plebejus, aureos montes pretendit pauper, patritiis ortum se fingit infima sortis homo, ut fallat no lentem nisi nobili, patricio, deviti, se jungere. Qua autem ratione a parte feminarum fiat. n. 5. Execrandarum mulierum & detestandorum hominum est, pudicos in libidinem flectere, animos philiris, pocalis amatoris, veneficisque, atque hoc modo decantatos ad spondendum matrimonium impellere. Hic dolus eo magis ceteris plectendus est, quia non sine periculo alterius vite, vel ad minimum turbatae mentis structus. Hoc adeo locum invenire debere afferit n. 4. etiam si sponsalia jurisjurandi religione, imo coitu fuerint confirmata, cum concubitus extra matrimonium scortatio sit, nec vim inquis desponsationibus addat; sepe enim, inquit, solent sponsioni concubitum adjungere astuta puella ut dolo captos matoribus*

*joribus intricent pedicis, atque efficiatur, quasi re non amplius integra, difficilior resiliendi potestas.*

§. VI. Quæ licet manifesta sint, & apud omnes in confessio, sunt tamen nonnulli qui hic distinguunt, an dolus circa substantialia matrimonii, an circa accidentalia, commissus, illo casu sponsalia nulla esse concedunt, sed non hoc. At vero illam distinctionem nullius momenti esse, facile unusquisque cognoscet. Quodsi enim y. g. aliquis ad divitias, vel nobilitatem respexit, & altera persona pro tali se venditasset, alter autem sub hac tacita conditione contraxisset, certe eadem ratio est. Unde nec in foro ea distinctione attenditur, uti illustre ejus exemplum refert. B. Dn. Strykius *tr. de Diff. spons. Sect. V. §. 51. seq.*

*Sine distinc-  
tione an  
contra sub-  
stant. an ac-  
cident. com-  
missus.*

§. VII. Neque illam distinctionem admitto, quam nonnulli habent, inter dolum causam dantem sponsalibus & incidentem; nam omnis dolus excludit consensum; quamvis jure Romano in quibusdam Casibus ex speciali ratione, aliud dispositum, scilicet ob diversa officia Prætoris & judicis pedanei, quæ hodie cessant. Vid. Dn. *Præses Diff. de processu Jur. Rom. Antiquo & de Clausula libellorum salutari Cap. I.*

*Sive causam  
dederit sive  
incidente  
rit.*

§. VIII. Vicinus dolo est error, imo in ipso dolo (2) *Errore* est error, nam qui dolo decipitur, longe alium fibi de persona illa conceptum format, & ita errat. Cum vero error etiam adesse possit sine dolo, de hoc agemus. Est itaque & error qui consensum verum excludit. Unde recte dicitur *in L. 16. §. 2. ff. de Reg. Jur. & L. 15. ff. de Jurisdic.* Errantis nullum esse consensum; quia deficit voluntas, hæc enim præsupponit id quod intellectu concipitur; quando autem, id se aliter habet, cefsat consensus, & sic obligatio.

I

§. IX.

*Qui versatur  
vel circa sub-  
stantialia.*

§. IX. Solet autem communiter error distinguiri ratione objecti in quo erratum est, an hoc ad substantialia pertineat, an accidentalia; in illo casu sponsalia errore contracta nulla sunt, sed in hoc casu fecus. Ad illum pertinet, si quis in ipsa persona erret, ubi nulla sunt sponsalia licet concubitus accesserit; cuius varios casus format Brouwerus *cit. lib. cap. 10, seqq.* Evidem videtur contrarium esse exemplum Jacobi qui Leam dolo ipsi obtrusam retinebat. Verum ab hoc exemplo nulla formari regula potest. Noluit enim Jacobus jure suo uti, inde tamen non infertur omnibus eadem necessitas Haveman. *Gam. Synopt. l. i. iii. 5. pos.* Deinceps ad substantialia refertur virginitas, si quis cum puella sponsalia contraxerit, quæ tamen antea stuprum non violentum, hoc enim non vitiat, sed voluntarium passa. Quamvis enim virginitas non absolute ad essentiam matrimonii spectet, cum & cum vidua matrimonium iniri possit, est tamen de essentia matrimonii cum virginine ineundi, rationem reddit Brouwerus *cit. l. n. 19.* hanc: eadem mulier non videtur, que integra promittitur & corupta traditur Auro puro & obryzo comparatur virgo illibata, & præflorata eri; at nulla venditio est, si es pro auro veneat, vel plumbeum pro argento, quia cum in substantialia error sit, consensu emtoris defiliuitur contractus. Et postea eleganter subjungit errorem circa divitias, fortunam &c. non semper infelix reddere matrimonium: absque terrenis & externis bonis felix potest esse coniugium, at vix sine sperata conjugis pudicitia. Oblectationis & amoris gratia dicitur uxor, at quanam oblectatio ex delibato flore ex de virginata virgine? Prolixius hac de re agit Haveman. *de Gamol. l. i. cit. 5.* ubi expositis argumentis.

mentis ab utraque parte, N. 6. distinguit (1) an agatur de conjugii, an de sponsaliorum dissolutione (2) an vitium post sponsalia, an ante illa, extiterit (3) an sponsus sciverit, an ignoraverit, (4) an sponsa tantum compressa an etiam gravida fuerit (5) an sponsus postquam ipsi innotuit, statim abstinuerit.

§. X. Ad accidentalia pertinent qualitates personæ, tam internæ, quam externæ. Ad internas pertinent, si femina sit stupidæ mentis, avara, iracunda, inurbana, loquacula, vel imperiosa seu rixosa, qualem Ausonius his verbis describit:

*Ecce dies totos, totusque ex ordine noctes*

*Litibus oppugnat, me quo meumque larem,*

*Atque ut perpetuis dotata a marte duellis*

*Arma in me tollit, nec datur ulla, quies.*

Quem locum adducit Havemann. cit. l. pos. 3. Ad externas vel bona corporis, vel bona fortunæ pertinent; ad illa refertur, si clauda sit, membro mutilata &c. ad hæc vero si pauper, plebeja, ignobilis fuerit. Ob has autem qualitates sponsalia non vitiantur sed valida sunt, cum hic unusquisque sibi imputare debeat, quod non melius in has qualitates inquisiverit. In re enim tanti momenti, non soli oculi, sed etiam aures, sunt consulendæ: Inquirendum est, audiendum est, quale ingenium, qualis propensio sit ejus, cum qua viuendum, quid in animo abditum verset, quid haec tenus a familia ribus observatam fuerit eo in genere. Quam cautelam præscribit Havem. cit. l. Conferatur plenius de errore in sponsalibus Cypræus. c. 13. §. 31. & seq.

§. XI. Quæ vero haec tenus, de illa distinctione erroris, quatenus circa substantia vel accidentalia versatur, dicta sunt, quod ille sponsalia nulla faciat, non hic,

*Vel circa ac-  
cidentalia.*

*Cessat distin-  
tio si error  
cum dolo  
concurrat.*

hoc necessariam haber limitationem, nisi dolus cum errore concurrat. Tum enim propter dolum alterius nulla sunt sponsalia, etiamsi error tantum circa externas qualitates fuerit. Ut supra §. IV. dictum est.

(3) Metu.

§. XII. Quemadmodum dolus & error, ita & metus reddit sponsalia nulla. Evidem non omnis in metu excluditur consensus, unde etiam nonnulli, ejusmodi obligationem pro valida habent, quia in ejusmodi actu promittens electionem haberet, ubi autem electio ibi consensus & sic quoque obligatio. Verum uti hoc dubium facile removeri potest, respondendo, ad consensum, si obligationem producere debeat, requiri, ut habeat electionem liberam, atque adeo ejusmodi contractus metu initus omnino sit invalidus; ita in eo omnes convenient, ad matrimonium contrahendum, requiri consensum ex omni parte liberum & ita sponsalia metu contracta omni jure esse nulla L. 116. pr. ff. de Reg. Jur. Cap. cum locum 14. & cap. Consultatione 28. X. de sponsal. Solent etiam Doctores hoc eo demonstrare argumento, quod matrimonium fit symbolum conjugii spiritualis inter Christum & Ecclesiam, cui nihil magis quam metus, vis & alia molestia adversatur Cyprianus c. tr. c. 13. §. 18. n. 2.

*Qualis metus requiriatur.*

§. XIII. Non tamen qualiscunque metus sufficit, ut sponsalia nulla sint, sed justus, qui in constantem virum cadit: vocatur autem metus justus, qui oritur ex comminatione eorum, quæ jure ac merito quis exhorrēscit, qualia sunt mors, cruciatus corporis, carcer, tortura, amissio bonorum; cui opponitur metus vanus & levis, qui existit, non eorum, qui metuuntur sed eorum, qui metuunt culpa. Non posterior metus, sed prior, sponsalia irrita reddit. Gerhardus cit. l.

§. 119.

§. 119. Verum commendari meretur cautela, quam suppeditat Havemann. 1. Gamol. cit. tit. 6. pos. 2. n. 13. ubi non tantum inquir, hic attendendum esse, quis minetur? quid minetur? Sed etiam in quem, vel in quam, ferantur mine? Ubi observandum, quod illud, quicquid tandem sit, quod in forti viro iustum metum efficere non potest, in virgine, in semina, iustum efficiat metum, propterea quod hic sexus facilime commoveatur & quasi natura timidior deprebendatur. Cum vero haec timiditas non tantum in feminis, immo nec in omnibus, sed saepe etiam in masculis reperiatur, queritur, quid faciendum sit? Respondetur, Judicis hac in parte officium esse, proba in qualitatem & temperamentum illius personæ, quæ in metu præsidium querit, inquirere, & ex bono & æquo judicare.

§. XIV. Excipiunt autem communiter metum reverentialem, quem liberi erga parentes habent; si v. g. filia sponsalia cum quodam contrahant, sed tamen non libero animo, verum, quia, si id non faciat, parentum metuit iram. Qui metus ideo non potest vitiare sponsalia, dum parentes jus habent, ejusmodi metum exigendi, & sine eorum consensu liberis non permisur nuptias contrahere; parentes etiam præsumuntur, optimum in elocandis liberis capessuri consilium. Verum & hoc restrictionem meretur, ut tantum locum habeat, si parentes officium suum non transgrediantur, ex eo enim quod liberi sine eorum consensu nuptias contrahere non possunt, non sequitur, ergo parentes possunt compellere liberos, ut præcise hanc vel illam personam ducant. Quodsi ergo parentes non modo verberibus, sed etiam minis atrocioribus, liberos compellant ad sponsalia, pariter pro justo

metu habetur, & eundem effectum habet. Vid. Gerhardus *cit. l. §. 19.* Cypræus *c. 13. §. 18.* ubi §. 19. varia exempla refert ex historiis, quibus demonstrat divinus puniri illos, qui invitatos & reluctantates in nuptias conjiciunt.

*Ob ebrietatem.*

§. XV. Deficit etiam consensus in ebrio, cum in eo tempore justum rationis usum non habeat, itaque huc etiam pertinet questio: si sponsalia contracta sint ab ebrio, an valida sint, an nulla? Ubi communiter distinguere solent, an in qui cum persona sponsalia contraxit, eo tempore summe ebrius fuerit, atque nullum amplius rationis usum habuerit; an vero modice ebrius fuerit, & omni rationis usu non destituatur. Illo casu sponsalia esse nulla, non hoc Nicolai *cit. l. n. 34. seqq.* Ego vero existimo nullam hic faciendam distinctionem; ut ut enim in posteriori casu aliquis non summe ebrius fuerit, & omni rationis usu destitutus, tamen in eo statu est, ut non plane liberum & sufficientem rationis usum, qualem negotium tanti momenti requirit, habeat. Constat enim omnibus & notoriis est, accensis nimio potu affectibus, multa suscipere homines, quorum postea iterum eos penitet. Hinc & licet concubitus accesserit, tamen ejusmodi actum nullum esse statuit Brouwerus *l. l. c. 4. n. 11. seqq.* Cypræus *c. 13. 5. 61.* Nicolai *Cap. 2. n. 32. seqq.*

*Quando repudio locum sit, regula generalis.*

§. XVI. Expositis haec tenus iis causis, ex quibus sponsalia nulla sunt; jam agendum de causis, ob quas sponsalia, valide contracta dissolvuntur, quod proprio Repudii nomine vocari solet. Sunt autem variæ repudii species, quæ a Doctoribus recenseri solent, quæ videntur hac generali regula comprehendi posse. Toties scilicet repudio locum esse, & dissol-

vi posse sponsalia jam valide contracta, quoties tale quid supervenit, quod (1) si tempore contractorum sponsaliorum ad fuisset, sponsus vel sponsa in matrimonium nunquam consensisset, vel (2) impedimento est, quo minus finis matrimonii obtineri possit; vel (3) ex eo apparet, non nisi infelicissimum matrimonium interdesponsatos, sequuturum esse. Ad hoc fundamentum & principium facile omnes casus speciales revocari posse existimo. Interim tamen potiores specialius adducam.

§. XVII. Ad specialia ergo progressurus, primo de iis videbo, quæ circa ea bona quæ ut plurimum in matrimonio queruntur, superveniunt. Sunt autem illa bona vel animi, vel corporis vel fortunæ. Primo itaque circa animi bona occurunt mali mores, si in iis reperiatur in altero desponsatorum mutatio, veluti si ebriosus, prodigus, aleator, & aliis vitiis deditus appareat sponsus; & sponsa, quam probam & honestam credidit, & quæ se etiam pro tali gessit, postea inventiatur pessimo vitae generi dedita, ita ut si hoc scivisset, nunquam sponsalia contraxisset; Ut adeo hic repudio omnino locus sit. Exemplum de ministro quoddam ecclesiæ, qui eo modo deceptus est, adducit B. Dn. Stryk. in tr. de Diff. sponsal. sect. 2. §. 27. Melius enim est in tempore rescindere sponsalia, quam desponsatos ad infaustum matrimonium cogere Nicolai c. 2. n. 97. 98.

§. XVIII. Pertinet etiam, huc si post sponsalia (2) Ob. ritte celebrata, altera pars ex desponsatis, stuprum primum commiserit. Neque hoc casu differentia est, inter masculum & feminam L. s. C. de sponsal. Can. 2. Caus. 32. qn. 6. ubi ex Augustino hæc notabilia verba habentur:

tur: *Si ducturi esis uxores servate vos uxoribus vestris. Quales eas vultis invenire, tales & ipsa inveniant vos. Quis invenis est, qui non castam velit ducere uxorem? & si accepturus est virginem, quis non intactam desideret? Intactam quaris? intactus es. Puram quaris? noli esse impurus.* Simulac enim sponsalia legitimate contracta, & promissio futuri matrimonii facta, uterque desponsatorum obligatur, ut nulli alii copiam corporis sui faciat. Quodsi vero uterque post sponsalia fuerit scoratus, repudio locus non est. Nicol. de repud. d. c. 2. n. 59. 60.

*Quid in vi  
stuprata.*

§. XIX. Illa vero quæstio dubia est, quæ hic agi-  
tari solet, an etiam repudio locus esse possit, si forte  
sponsa vi stuprata fuerit? Videtur neganda esse quæ-  
stio, cum nulla ipsi culpa imputari possit, & nec casti-  
tatem amiserit, utpote quæ non in corpore, sed in a-  
nimo consistit. Deut. XXII. 25, 26. 27. Can. 2. seq. Caus.  
XXXII. qu. 5. Attamen non puto sponsum compelli posse  
ad contrahendum cum ea matrimonium; utut enim  
nihil sponsæ imputari possit, nihilominus tamen gra-  
ve esset virum honestum compellere velle, ad ducen-  
dam uxorem ab alio defloratam. Sponsa ergo hoc,  
tanquam casum fortuitum, æquo animo ferre tene-  
tur; ceu & in aliis casibus repudio locus est, quam-  
vis culpa alterius non contingant. Illum tamen, qui  
illi vim fecit, sine dubio, ad reparandum omne da-  
mnum & interesse, convenire potest. Vid. Brouwer.  
de Jur. Conn. l. 1. c. 25. n. 20. seq. Nicolai tr. de Repud. &  
Div. c. 2. n. 52.

(3) *Ob furorrem & stupi-  
ditatem.* §. XX. Inter animi vitia, quæ sponsalia dissolvunt,  
etiam sine dubio furor collocandus est, seu mentis ca-  
ptio, aut stupiditas; quia ejusmodi homo vero ratio-  
nis

nis usū destituitur, qua tamen in matrimonio quam maxime opus est, cum alias mutuum parti alteri consortium præstari nequeat. Videtur quidem obstare *L. 8. ff. de sponsal.* ubi dicitur furorem impedire quidem sponsalia, sed non infirmare; hoc autem sine dubio ita intelligendum, quod quidem sponsalia subsistere possint, si pars altera hoc æquo animo ferre velit, sed inde non sequitur, ut propterea non a parte altera a sponsaliis recedi possit; nam de jure Romano hoc sine magna causa fieri poterat. *L. 1. C. de sponsalibus.* ergo multo magis ex hac causa. Nicol. de Repud. & Divort. c. 2. n. 24. Brouwer. cit. l. n. 12. Non autem ob furorem tantum repudio locum esse existimo, sed etiam ob stupiditatem mentis, si incapax sit v. g. sponsa ad curam rerum domesticarum in se suscipiendam, & præstandas operas marito debitas; quia finis matrimonii, mutuum sc. adjutorium, obtineri nequit cum ejusmodi uxore.

§. XXI. Solet hic etiam a Doctoribus illa ventilari quæstio, an, si post contracta sponsalia, pars una religionem mutaverit, altera parte urgente, repudio locus sit? Ubi communiter distinguunt, an quis fidem Christianam plane abnegaverit, & ad religionem Ethnorum Turcarum se converterit, an vero hæresi & perversæ sectæ se addixerit, aut ad pontificiam transferit. Prioribus duobus casibus repudio locum esse, posteriori autem, non dissolvenda sponsalia, sed sub certis conditionibus, si sc. nulla deceptionis causa adsit, & pata de liberis in pietate & vera religione educandis inita, permittenda esse statuit, Carpzovius *Jur. Conf.* l. 2. d. 7. n. 10. Contra vero alii in genere omni casu dissolutionem sponsaliorum concedunt, si ejusmodi mu-

(4) *Mutatio Religionis.*

tatio religionis fiat post sponsalia contracta nam si quis sciens, cum persona, diversæ religioni addicta, sponsalia contrahat, postea ad repudium agere non potest. Notanter hic Brouwerus differit. l. i. c. 25. n. 24. adducendo locum Tertulliani ex Lib. 2. ad Vxor. de Christian. conjug. & deinceps argumentando, a contrario sensu. Conjugum, quod inter illos contrahitur, qui sunt unus spei, unius fidei, unius voti, unius discipline, unius servitutis, ecclesia conciliat, obsignatum renunciant angeli, DEVSRatum habet. At e contrario ubi dispar fides, ubi diversus DEI cultus conjugibus est, ibi solet matrimonium sepius rixas & jurgias scatere, maledictionis spinas producere, & viam sternere ad perpetuam mortem. Qui propter erroneam fidem repudiatur, non potest aliquo colore, ruptam fidem, amoris inconstantem, objicere e repudiandi sponsa. Ipse enim in culpa est, quod res non in eodem remanserit statu, quo erat tempore facta sponsionis. Ejusdem sententia est Nicolai de repud. & dir. Cap. 2. n. 69. seqq. ubi n. 72. & seqq. ad rationes, a Carpzovio allatas, respondet.

(5) Inimici-  
tia irreconcil.

§. XXII. Pertinet etiam hoc inimicitia irreconcilabilis, in animo sponsi vel sponsæ post sponsalia exorta, ubi quidem nullum dubium est, quod altera pars, quæ ab altero sine causa odio habetur, repudium petere possit; id vero questionis hic est, an etiam is, qui odium aliquod contra alteram partem, sine hujus culpa concepit, nec rationem ullam odii sui asserere potest? Videtur sane illi, qui sine ulla causa erga alterum odium prætendit, nullo modo concedendum esse repudium, cum ita unusquisque facile odium aliquod fingere posset, & ita pro lubitu a sponsalibus resilire. Attamen quamvis non megandum sit, judi-

judicem omnia media ad reconciliandos animos adhibere debere, quod s<sup>e</sup>pe non sine effectu est. Si vero h<sup>a</sup>c omnia frustra fuerint, & is, qui odium contra alterum concepit, in eo persistat, adhuc tamen melius esse existimant Doctores, dissolvere sponsalia infelicia, ne lugendum postea sequatur matrimonium. Brouwer. cit. l. n. 27. 28. Hic vero omne interesse & damnum, arbitrio judicis determinatum, parti alteri innocent<sup>i</sup> refundere is debet, qui repudio causam dedit; quin & extraordinaria poena puniri potest. Conf. B. Dn. Stryck. in tr. de Diff. Spons. Sect. II. §. 46. 47. 48.

§. XXIII. Ad corporis vitia progredior, ostensuris, ob quae repudio locus sit. Sunt vero ejusmodi vitia variis generis; & primo quidem quae cum mutatione membra conjuncta sunt, si membro fuerit privatus, & claudus factus unum oculum amiserit &c. deinde ubi nulla est mutilatio? veluti si deformitas ex variolis nata, si oris fætorem contraxerit incurabilem &c. Covarruv. de Matrim. p. 1. c. 5. pr. n. 6. Guttierrez. de matr. cap. 32. Distinguunt hic quidam an ejusmodi vitium impedimento sit laboribus & operis, quibus alimenta comparari possint, an in sola deformitate consistat. Illo casu repudio locum esse, non hoc. Kizel. *Synops. matrim. c. 8. tb. 12. lit. C.* Qui ne quidem ideo repudium admittit, si sponsus vel sponsa post contracta sponsalia claudus, surdus, mutus, cæcus factus fuerit. Verum recedunt ab horum sententia alii, atque utroque casu sponsalia dissolvi posse statuunt, cum notissima juris regula sit, quod omnis contractus intelligatur rebus sic stantibus. Nicolai Cap. II. n. 114. scqq. B. Dn. Stryckius

(6) deformi-  
ta superve-  
nientia.

kius *cit. loc. §. 42.* Quod tamen de superveniente deformitata, quæ v. g. variolis contrahitur, tantum sponsa obtinet, non in sponso. Quia juxta vulgatum, forma viros neglecta decet. Brouwer. *cit. c. 25. n. 37.* Quamvis & hic si sponsa prætendat, nullo modo se amplius eum amare posse, aliud dicendum.

(7) *morbis incurabilis.* §. XXIV. Ex his patet multo magis dissolvi sponsalia posse, ob supervenientem morbum alterius, & quidem incurabilem, vel talem qui potentiam generandi adimit, quoctunque modo illa impotentia contracta fuerit; Cum enim finis matrimonii obtineri non possit, nec ad consummandum matrimonium pars altera compelli potest Nicolai *cit. l. n. 99. & seqq.* In tantum, ut si etiam dubium sit, an potentiam generandi habeat an secus, nihilominus dissolvi possint Brouwer. *l. i. c. 25. n. 30. & 31.*

(8) *Crimen infame commissum.* §. XXV. Jam ad ea pergam quæ bona fortunæ concernunt, quo pertinet existimationis læsio, seu infamia, & jactura bonorum. Si ergo una ex desponsatis personis post contracta sponsalia crimen aliquod infame commiserit, annon tum altera pars repudium petere potest? affirmant communiter Doctores, de criminibus atrocioribus, quibus infamiae pena statuta Nicolai *cit. l. n. 13. seqq.* Cypræus §. 79. seqq. Verum in delictis levioribus v. g. si ob furtum tantum pena relegationis vel alia extraordinaria puniatur, sponsalia dissolvenda non esse statuit Carpz. *de tr. def. 178.* Imo nec ob majora crimina, si gratia reo facta & pena remissa, ea concedit *ibid. n. 2.* allegatque *n. 8. g. 10. tex-*  
tus, ex jure civili, qui de matrimonio loquuntur &  
ad.

addit n. n. quamvis illi non de sponsalibus loquantur, nihilominus tamen, quod in nuptiis dispositum, etiam in sponsalibus obtinere. Cypræus cap. 13. §. 80. aliique. A quorum sententia recedit Brouvverus cit. C. 25. n. 39. 40. & Nicolai c. 2. n. 141. atque rationibus sufficientibus demonstrant, ob delicta leuiora, quæ tamen infamant locum esse repudio, licet gratiam a Principe pars nocens impetraverit, quia Princeps non potest factum infelicitum facere, & infamiam tollere. Imo Brouvverus vterius progreditur & non modo in omnibus delictis, etiam leuioribus quæ infamant, repudium concedit, sed & in iis vbi nulla agenti culpa imputari potest, v.g. in homicidio casuali & necessario; *sit enim, inquit, casuale, si necessarium homicidium, homo tamen occisus est.* Addit etiam rationem, quod in eiusmodi delictis, quæ sepe in occulto perpetrantur, non semper constare possit, annon culpa quoque eius acceperit. A quo tamen iterum dissentit Nicolai cit. l. n. 141. Verum non dubito Brouvveri subscribere sententiæ. Cum enim eiusmodi casus homicidiū siue necessarii, siue casualis, alicui nunquam sine directio-  
ne diuina contingat, & sic facile horrorem parti incutere queat, puto non compelli eam posse, ad consummandum matrimonium. Casus enim nocet facienti. In hoc tamen etiam subscribe sententiæ Nicolai qua n. 152. non tantum ob infamiam iuris sed & ob infamiam facti, repudio locum esse asserit, si sponsus tale quid faciat, quod famam ipsius apud honestos viros grauat, non tantum si lictoris vel excoriatoris officio fungatur, sed etiam si alii modis, pessimo sc. vitæ genere eiusmodi quid agat, quod infamiam facti post se tradit.

§. XXVI. A iactura famæ, nunc ad iacturam bonorum progredior, si virus est despontatis, bonis labatur; vbi iterum Doctores distinguunt, an quis omnibus bonis lapsus fuerit? an tantum aliqua parte? an culpa ipsius? an sine culpa? Illo casu repudio locum esse hoc casu vero non: nisi expressa summa dotis promissa, quam postmodum sponsa præstare nequeat, Brouvverus cit. l. n. 41. s. e. qq. Nicolai cit. l.

(9) *Iactura  
bonorum.*

n. 160. Verum, si casus supponatur, vbi in contrahendis sponsalibus maxime etiam eo respexerunt contrahentes, quod altera pars bonis sufficientibus instructa sit, ad alienam familiam; qui respectus utique honestus est: cum vero etiamsi casu quodam ille bonorum sentiat iacturam, ita ut nunc ad eum statum redactus sit, vt tantum non habeat, quantum ad necessitatem domesticam requiritur, non minus repudio locum esse existimo, cum si hoc praeuidisset altera pars, nunquam contraxisset sponsalia. B. Dn. Strykius de *Dissenf. Sponf. Secf. 2. §. 43.*

(10) *desertio  
sponsi.*

§. XXVII. Ultima & diurna absentia, & desertio sponsi, iusta causa repudii est. Verum hic varii casus distinguendi sunt, an scilicet absentia sit necessaria, an voluntaria, que iterum vel honesta vel malitiosa; Si enim sit ex causa necessaria, v.g. propter militiam, vel quod ab hoste detineatur, aut in alio loco, morbo correptus, decumbat, hoc casu locus non est repudio, quia ipsi nihil imputari potest, quo minus redeat. Quod autem voluntariam attinet, iterum distinguendum, an cum consensu sponsae abierit, an sine eius consensu; illo casu si absentia v. g. peregrinationis, vel mercaturæ causa, fiat, sponsa redditum sponsi expectare tenetur, nec enim pro desertore haberi potest; si vero voluntate quidem sponsae abeat, sed sine denominatione loci quorsum eat, iudex ex circumstantiis si iam diu absuerit, & plane non constet vbi sit, pertente altera parte repudium concedere potest; Videatur Nicolai c. 3. n. 3 seqq. Gerhardus de *Coniug. §. 167.* Brouwer. d. c. 25. n. 45. Quantum tempus vero expectare debeat sponsa hoc ultimo casu, non convenient Doctores: quidam per triennium eam expectare debere existimant, ut inde constet an animum reuertendi habeat; alii si extra prouinciam sit, per triennium, si intra, per biennium eum expectandum esse Gerhardus cit. l. Verum non aliter repudio hic locus esse potest, quam processu desertionis legitime instituto. De quo Cypræus c. 3. §. 72.

§. XXIX.

§. XXIX. Superest, vt paucis adhuc de illa contro-  
uersia agam, quæ inter doctores tantopere agitari solet an *An mutuo  
consensu*  
sponsalia rite contracta mutuo vtriusque consensu dissolui *sponsalia*  
possint? In cuius decisione omnia sere illa recurrunt, quæ *dissolui pos-  
sunt.*  
per totam hanc dissertationem dicta sunt; vt vero rationes  
vtriusque sententiae B. L. in conspectu habeat, breuibus eas  
adducam.

§. XXIX. Illi, qui negatiuam tueruntur sententiam, quæ & *Rationes ne-  
comuni calculo in praxi recepta, his potissimum vtuntur gamini.*  
rationibus, quod (1) sponsaliorum & nuptiarum sit eadem  
obligatio (2) obligatio sponsaliorum sit iuris diuini (3) con-  
currat fœdus Dei (4) non valeat transactio contra matrimo-  
nium (5) maiorem esse rationem in sponsalibus, quam in pa-  
tis (6) illa facultas dissentendi sit res mali exempli & (7)  
Communi doctorum calculo approbata & in Confistoriis re-  
cepta. Cui sententiae non tantum Pontificii, sed & plerique  
ex nostris adhærent.

§. XXX. Ab his vero ali, maxime recentiores, sum-  
mo iure recedunt, partim, quod illa hypothesis ex falso pon-  
tificiorum principio, quod matrimonium sit sacramentum,  
fluat, partim, quod omni fane rationi aduersa sit; cum nihil  
tam naturale, quam eo modo quidue dissolui quo colliga-  
tum est; modo distinctio inter sponsalia & matrimonium  
obseruetur, nam in illis res adhuc salua est ab utraque parte,  
& per dissolutionem omnia in pristinum statum restitui pos-  
funt, non si matrimonium iam contractum.

§. XXXI. Hinc facile ad rationes contrariæ senten-  
tiae responderi potest. Et quidem ad primam & secundam, *Responsio ad  
rationes ne-  
falias esse, & confundi sponsalia cum nuptiis; tertiam figmen-  
tum esse, ceu iam supra demonstratum; quartam etiam ra-  
tionem confundere duas distinctas quæstiones, an transactio  
tendat ad dissoluendum matrimonium, de quo casu vnic  
agunt textus iuris Canonici, an vero tendat ad dissoluenda  
sponsalia. In illis concedo non valere transactionem, a-  
liud in his vti iam supra pluribus dictum. Quinta ratio ni-  
hil euincit, si enim ob omnibus pactis recedi potest vtrius-  
que*

que consensu, sine violatione fidei, cur aliud & a pæctis sponsalitii? deterior ergo esset sponsaliorum conditio, si id non liceret. Quod sexto hæc res mali exempli sit, asseritur non probatur. Desponsatos invitatos ad matrimonium consummandum compellere, & eos perpetuo infelices reddere, hæc est res mali exempli. Quod Doctorum autoritatem attinet, non minores numero sunt, qui pro hac sententia militant. Verum cum hac de re ex professo iam actum sit a B. Dn. Strykio in Tr. de Dissensu sponsalitio Sed. III. de dissensu viriusque despontat. eo lectorem remitto. Addatur etiam Guil. Hieron. Bruckneri Progr. supra citatum de differentia consensus sponsalitii & matrimonialis indeque resultantibus effectibus posterioribus.

*Conclusio  
dissertationis.*

§. XXXII. Hæc sunt, quæ, pro instituti & temporis ratione, de obligatione sponsaliorum, eorumque dissolutione, tradere animus suit. Fatendum vtique est, potuisse hæc longe plenius & uberiori exponi; Verum cum ita formam dissertationis excrescisset opus, nostra etiam intentio plane non fuerit, omnes speciales questiones, cum rationibus dubitandi & decidendi, plenissime pertractare, sed potius eiusmodi tantum ponere fundamenta & principia, ex quibus singulæ controversiæ facile decidi possunt; in simul etiam causam tot errorum, in quos Icti nostri Euangelicæ religioni addicti prolapsi sunt, & qua possint ratione euitari, demonstrare; hinc sufficere hæc posse nobis persuademus. Interim B. L. rogamus ut hæc omnia æqui bonique consulat, & si non omnia, quæ tradita, ad eius sint palatum; ad minimum intentionem nostram non adspernetur, cum nihil aliud queramus, quam ab erroribus, quantum possibile, iuoprudentiam nostram purgare. DEVS vero hæc dirigat in diuini nominis sui gloriam.

F I N I S.

Eo-Beg 2002

01 A 6734



DIA Kopf

Rhein





5.

IO. SAMVELIS STRYCKII,  
ICTI, SERENISSIMAE VIDVAE SAXO-ISENACENSIS CONSILIARII  
AVLICI, ET PROF. IVR. PVBL. ORDINARI,  
BIGA TRACTAT. JVRIDICARVM,  
DE SPONSALIBVS,

I.  
DE PROBATIONE  
SPONSALIORVM,  
Von Erweisung der Verlobnisse,  
HALAE MDCCXI. D. XXIV. APRIL. HABITA,

II.  
DE OBLIGATIONE SPONSALIORVM  
ET DISSOLVTIONE,  
Von Verbindung und Auflösung der Verlobnisse.  
MDCCXI. D. XXIX. DEC. HABITA.



HALAE MAGDEB. SVMTV HENDELIANO. 1723.